




1560










1165.

Anthony Mizald or Mozauld was
born at Montlugon A° . . . . & died at
Paris at an advanced age A° . . . He
studied medicine & mathematics with
reputation: but his love of novelty, singu-
larity & astrology made him lose in suc=
=cession the little glory which he had ob=
tained, together with his fortune & his life.
He published many works chiefly in
Latin, the first of which, on Gardening
appeared in 15.. & all those which
relate to that subject have been collected
& published by Caille a Physician under
the following title

Le Jardinage de Mozauld.

Paris 1578.



SECRETORVM AGRI ENCHIRIDION PRIMVM, HORTORVM CVRAM,

auxilia, ſecreta, & medica præſidia inuentu prompta, ac paratu facilia, Libris tribus pulcherrimis complectens:

AVTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO.



LVTETIAE,

Apud Federicum Morellum in vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.

1560.

EX REGIS PRIVILEGIO.

SENTENTIA PRIVILEGII.

REGIA sanctione cautum est, ne quispiam alius prȩter Federicum Morellum typographum Parisiensem, hoc Secretorum agri Enchiridion primum, Hortorum curam, auxilia, secreta & medica præsidia inuentu prompta & paratu facilia Libris tribus pulcherrimis complectens, autore ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO, intra sexenniũ, absq; manifesto autoris & dicti typographi cõsensu sub Regis ditione imprimat néue uẽdat Latinè uel Gallicè, cõiunctim aut diuisim, seu alio quouis modo. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata multabitur. Concessum fuit Priuilegium Lutetiæ Parisiorum octauo Idus Februarij, An. M. D. LIX. subsignante

CAMVS.



FRANCISCO OLIVARIO
Galliarum Cancellario prudẽtiſſimo,
Ant. Mizaldus Monlucianus S. D.

SEXTVS Aurelius Victor ſcribit, Franciſce Galliarum Cancellarie prudentiſſime, Diocletianum Imperij faſces apud Nicomediam ſponte relinquentem, in propriis agris liberè cõſenuiſſe. Qui dũ ad recipiendum Imperium ab Herculio & Galerio ſolicitaretur, illud tanquã peſtem deteſtans, ſic reſpondiſſe fertur: Vtinam poſſetis uiſere olera noſtris manibus Salonæ inſtituta, profectò iſtud tentandũ nunquã iudicaretis. Sic Perſarum Regem illũ Cyrum, dimenſionibus ruſticarũ rerũ animum intendiſſe, & propriis manibus

consitos arboribus agros habuisse, ac in quincuncem eleganter direxisse, autor est Plutarchus Quam industriam & solertiam Lysander cõspicatus, Rectè uerò inquit, Cyre, beatũ omnes te ferunt, quoniã uirtuti tuæ, & regio diademati fortuna ista & cura cõiuncta est. Catonũ ille primus, triumpho, censura ac literis insignis, præceptis rerũ omnium expetendarũ populo Romano datis, eum etiã agros rectè colere docuit: qui illius cõfessione, ut scribit Plin. optimus ac sine æmulo agricola. Verumenimuero, quorsum hæc? inquies. nimirũ ut intelligant morosuli censores mei, nouũ nõ esse nec inauditũ si Imperatores ac Reges, summiq; magistratus agricolationi animũ intendant, et propriis manibus tam hortos q̃ agros diligẽter excolere satagant. Ex quo parũ circunspectè mihi insultare uidentur isti, quòd hosce hortensium Cõmentariolos Dignitati tuæ nuncupare pergam. Quibus, ut uolunt, oli-

tor rusticúsue quispiã aptiùs quærendus erat, quàm de Galliarũ primatibus Cãcellarius unus. Cui, aiunt, ecquid cõmune per Deos immortales cũ sarculo, ligone aut falcicula? Næ isti tales mihi esse uidentur, ut intelligendo nihil intelligant: fateantúrq; ueterũ historias ne per trãsennam quidem aut uidisse, aut legisse. Serentẽ inuenerunt dati honores Serranũ, unde illi cognomen. Et quatuor sua iugera aranti in Vaticano Quintio Cincinnato (quæ prata Quintia Plinij ætate nuncupabãtur) Viator Dictaturam attulit: & quidẽ, ut traditur, nudo plenóq; pulueris etiamnũ ore. Cui Viator, Vela corpus, inquit, ut proferã Senatus populiq; Rom. mandata, & Dictaturam induas. Quam ubi inuitus admisit, post obsessum Consulem & exercitum liberatum, post magistratum prudenter & gloriosè gestum, festinantiùs illam uictor reddidit, quàm arator accepit: iucũdiúsq; exuit, quàm induit: ad eosdem iuuẽcos, ut

scribit Columella, & auitum quatuor iugerum hærediolum, hilaris reuertens. Romanorum Reges hortos in delitiis habuisse & excoluisse, uel illud de multis testari potest, quod Tarquinius Superbus nuntium illum sæuum atque sanguinarium filio remisit ex horto. Quid illud quòd expugnata Carthagine cùm omnes bibliothecæ uariis Africæ Regulis donarētur, Senatus in tantum honorē habuit duodetriginta libros Magonis de hortorū & agrorum cultu, Pœnica lingua scriptos, ut accuratè seruādos, & Romam perferendos censuerit? Qui à Cassio Dionysio Vticensi libris uiginti Græca lingua tandem translati, & Sextilio Prætori missi (ut testantur Varro & Columella) hodie Constantino Cæsari falsò ascribuntur. Sed in exēplis & historiis uersatum satis. Auditis itaq; ô præclari censores, quomodo Regum, Consulū, Dictatorum ac Imperatorum manibus olim colebantur agri: terra, ut scribit Pli-

nius, & credere fas est, laureato uomere gaudente & triumphali aratore: siue illi eadem cura semina tractabant, qua bella: eadémq; diligentia arua disponebãt, qua castra: siue quòd honestis manibus omnia lætiùs proueniunt, quoniam & curiosiùs fiunt. Auditis, *inquam, priscam nobilitatẽ ueterésq;* Heroes *si quãdo regni uel* Imperij *fasces deponere iuuabat, si quando à functionibus publicis respirare licebat, agriculturæ animũ præcipuè intendisse, & rusticando sese oblectauisse.* Quomodo *tuũ* LEONVILLANVM, Cancellarie *prudẽtiss. te subinde reficit: tibiq; serijs ac grauibus reb⁹ utcũq; exonerato, & publicis regni negotijs, uel tantillũ leuato, respirandi spatium dulcissimũ, saluberrimorũ hortorũ pulcherrimo secessu iucundè suppeditat.* Quando *itaq;* Reges & Imperatores, *summósq; magistratus nõ puduit hortensia colere, & agricolationẽ proprijs etiam manibus exercere, sarculum & fal-*

ciculam tractare, imò uerò aratrum ducere: ita Dignitatē tuā nihil, ut opinor, pudebit pro sarculo aut falcicula hosce hortēsium Commentariolos manibus quandoq; tractare: & si minùs in rem conferre licebit, saltem percurrere molestum non erit, impetrato à publicis occupationibus tuis horulæ unius otiolo. Si elegantißimis & cultißimis LEONVILLANI tui hortis usum aliquem & fructum adferent: si publicæ omnium utilitati, in tuo nomine & patrocinio emißi commodabunt, impēsè mihi gratulabor, & gratias Deo Opt. Max, immensas agam. Cuius inexhausta bonitas tuam Dignitatem semper tueri ac fouere dignetur. Fœliciter vale. Lutetiæ Parisiorum Idibus Februarii. Anno restitutæ salutis humano generi, M. D. L X. Astronomico calculo.

PRAEFATIVNCVLA ad Lectorem ſecretorum agri & horti ſtudioſum.

NOn ſine cauſa maiores noſtri, inquit M. Terentius Varro, terram Matrem appellabant, & qui eam colerent, piam ac utilem uitam agere credebãt. Quod dum obſeruarẽt priſci illi Romani uera & germana Romuli ſoboles, ex urbe ſuos ciues in agris redigebãt: quia & in pace à ruſticis alebãtur, & in bello ab his tuebantur: fortiſsimi enim uiri, ut ſcribit M. Cato, & milites ſtrenuiſsimi ex agricolis gignuntur. Secuta ætas, ut omnia in peius ruere ſolent, ſarculo, falce & aratro proiectis, intra muros correpſit: & in circis ac theatris (ubi nec orientẽ Solẽ, nec occidentem uidebat) potiùs q̃ in hortis, agris, ſegetibus, uinetis ac oliuetis ſibi placuit, uitam ocio ac luxu diffluẽtẽ, ne quid fœdius dicã, perditè exercens. Ex quo iuuenũ corpora ita fluxa & reſoluta iaminde apparuerunt, ut nihil mors in illis mutatura uideretur. Horum ſanè temporum & hominũ imago hiſce diebus non obſcurè elucet. Num hoc prodigij ſimile quod accidat, ut res corpo-

ribus noſtris, uitæq́; utilitati maximè conueniẽs, & quæ ſine dubitatione proxima & quaſi cõſanguinea eſt ſapientiæ, vſqueadeo negligatur? Sine ludicris artib9, atque etiã ſine cauſidicis, ut uerbis utar Columellæ, ſatis fœlices olim fuere, futurçque ſunt urbes: at ſine agricultoribus, nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe certum eſt. Scholas Gammaticorum, Philoſophorum, Medicorũ, Mathematicorum, Iuriſperitorũ & Theologorum, nemo paſsim non uidet: adhæc officinas artificum uarias, Agricolationis neque doctores qui ſe profiteãtur, neq; diſcipulos hodie agnoſcas. Quæ cùm animaduerterem, ſæpè mecum retractans quàm turpi ſeculorum conſenſu deſerta exoleſcat ruris diſciplina, cœpi apud me cogitare & conſilium inire, quanam uia illi, pro mea tenuitate, ſuccurrerẽ. In quam cogitationẽ cùm diu multúmq; incubuiſſem & ferè ſuccubuiſſem, tandem in animum induxi meum, fieri poſſe ut cõpendio præcipua rerũ agri capita & ſecreta, Enchiridiis aliquot cõtineantur & claudãtur: præſertim quæ uſui ſunt, & publicæ utilitati cõmodãt. Quod me præſtare poſſe cũ omnino diffiderem, partim edoctus quid ferre recuſent, quid ualeãt humeri: parim me-

dicis ſtudiis & occupationibus uariis uariè diſtractus, ecce percõmodè mihi in mentẽ uenit Homericum illud, à M. Tullio uſurpatum:

Τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

quod eſt,

Hæc partim ipſe tuo perpendes pectore tecum:
Partim diuûm aliquis tibi ſuggeret.

Quando itaq; Dij faciẽtes adiuuare ſolẽt, ut ſcribit M. Varro, manũ aratro admouere nihil ſum cunctatus: rerum agri potiora mẽbra & ſecreta, quatuor Enchiridiis poſſe perſtringi certò perſuaſus. Vt primũ hortenſia expediat. Secundũ cerealia, legumina, uites & uina. Tertiũ quadrupedes agri omnis generis, & itẽ uolucres. Quartũ uerò ſylueſtres arbores tam frugiferas, q̃ infrugiferas, cũ paſcuis, piſcinis, & aliis. Quæ omnia eadẽ methodo perſequẽda erũt, qua primũ hoc Enchiridion ex Græcis & Latinis rerũ agri ſcriptorib⁹ uariis, concinnatũ uides. Quod tamen an ſeriò poſsim perficere, non auſim polliceri. Nã fortuna hodie rebus noſtris uſqueadeò eſt infenſa, ut propoſitũ hoc & conſilium (niſi blandiùs arriſerit) prorſus immutare ac euertere poſſit. Vt ut fuerit, primũ hoc hortenſiũ Enchiridion, ceu reliquorum ſponſorẽ & fi-

ribus noſtris, uitæq́; utilitati maximè conueniẽs, & quæ ſine dubitatione proxima & quaſi cõſanguinea eſt ſapientiæ, vſqueadeo negligatur? Sine ludicris artib⁹, atque etiã ſine cauſidicis, ut uerbis utar Columellæ, ſatis fœlices olim fuere, futurę́que ſunt urbes: at ſine agricultoribus, nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe certum eſt. Scholas Gammaticorum, Philoſophorum, Medicorũ, Mathematicorum, Iuriſperitorũ & Theologorum, nemo paſsim non uidet: adhæc officinas artificum uarias, Agricolationis neque doctores qui ſe profiteãtur, neq; diſcipulos hodie agnoſcas. Quæ cùm animaduerterem, ſæpè mecum retractans quàm turpi ſeculorum conſenſu deſerta exoleſcat ruris diſciplina, cœpi apud me cogitare & conſilium inire, quanam uia illi, pro mea tenuitate, ſuccurrerẽ. In quam cogitationẽ cùm diu multúmq; incubuiſſem & ferè ſuccubuiſſem, tandem in animum induxi meum, fieri poſſe ut cõpendio præcipua rerũ agri capita & ſecreta, Enchiridiis aliquot cõtineantur & claudãtur: præſertim quæ uſui ſunt, & publicæ utilitati cõmodãt. Quod me præſtare poſſe cũ omnino diffiderem, partim edoctus quid ferre recuſent, quid ualeãt humeri: parim me-

dicis ſtudiis & occupationibus uariis uariè diſtractus, ecce percõmodè mihi in mentẽ uenit Homericum illud, à M. Tullio uſurpatum:

Τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

quod eſt,

Hæc partim ipſe tuo perpendes pectore tecum:
Partim diuûm aliquis tibi ſuggeret.

Quando itaq; Dij faciẽtes adiuuare ſolẽt, ut ſcribit M. Varro, manũ aratro admouere nihil ſum cunctatus: rerum agri potiora mẽbra & ſecreta, quatuor Enchiridiis poſſe perſtringi certò perſuaſus. Vt primũ hortenſia expediat. Secundũ cerealia, legumina, uites & uina. Tertiũ quadrupedes agri omnis generis, & itẽ uolucres. Quartũ uerò ſylueſtres arbores tam frugiferas, q̃ infrugiferas, cũ paſcuis, piſcinis, & aliis. Quæ omnia eadẽ methodo perſequẽda erũt, qua primũ hoc Enchiridion ex Græcis & Latinis rerũ agri ſcriptorib⁹ uariis, concinnatũ uides. Quod tamen an ſeriò poſsim perficere, non auſim polliceri. Nã fortuna hodie rebus noſtris uſqueadeò eſt infenſa, ut propoſitũ hoc & conſilium (niſi blandiùs arriſerit) prorſus immutare ac euertere poſſit. Vt ut fuerit, primũ hoc hortenſiũ Enchiridion, ceu reliquorum ſponſorẽ & fi-

ribus noſtris, uitæq́; utilitati maximè conueniẽs, & quæ ſine dubitatione proxima & quaſi cõſanguinea eſt ſapientiæ, vſqueadeo negligatur? Sine ludicris artib9, atque etiã ſine cauſidicis, ut uerbis utar Columellæ, ſatis fœlices olim fuere, futurçque ſunt urbes: at ſine agricultoribus, nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe certum eſt. Scholas Gammaticorum, Philoſophorum, Medicorũ, Mathematicorum, Iuriſperitorũ & Theologorum, nemo paſsim non uidet: adhæc officinas artificum uarias, Agricolationis neque doctores qui ſe profiteãtur, neq; diſcipulos hodie agnoſcas. Quæ cùm animaduerterem, ſæpè mecum retractans quàm turpi ſeculorum conſenſu deſerta exoleſcat ruris diſciplina, cœpi apud me cogitare & conſilium inire, quanam uia illi, pro mea tenuitate, ſuccurrerẽ. In quam cogitationẽ cùm diu multúmq; incubuiſſem & ferè ſuccubuiſſem, tandem in animum induxi meum, fieri poſſe ut cõpendio præcipua rerũ agri capita & ſecreta, Enchiridiis aliquot cõtineantur & claudãtur: præſertim quæ uſui ſunt, & publicæ utilitati cõmodãt. Quod me præſtare poſſe cũ omnino diffiderem, partim edoctus quid ferre recuſent, quid ualeãt humeri: parim me-

dicis ſtudiis & occupationibus uariis uariè diſtractus, ecce percõmodè mihi in mentẽ uenit Homericum illud, à M. Tullio uſurpatum:

> Τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
> Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

quod eſt,

> Hæc partim ipſe tuo perpendes pectore tecum:
> Partim diuûm aliquis tibi ſuggeret.

Quando itaq; Dij faciẽtes adiuuare ſolẽt, ut ſcribit M. Varro, manũ aratro admouere nihil ſum cunctatus: rerum agri potiora mẽbra & ſecreta, quatuor Enchiridiis poſſe perſtringi certò perſuaſus. Vt primũ hortenſia expediat. Secundũ cerealia, legumina, uites & uina. Tertiũ quadrupedes agri omnis generis, & itẽ uolucres. Quartũ uerò ſylueſtres arbores tam frugiferas, q̃ infrugiferas, cũ paſcuis, piſcinis, & aliis. Quæ omnia eadẽ methodo perſequẽda erũt, qua primũ hoc Enchiridion ex Græcis & Latinis rerũ agri ſcriptorib⁹ uariis, concinnatũ uides. Quod tamen an ſeriò poſsim perficere, non auſim polliceri. Nã fortuna hodie rebus noſtris uſqueadeò eſt infenſa, ut propoſitũ hoc & conſilium (niſi blandiùs arriſerit) prorſus immutare ac euertere poſſit. Vt ut fuerit, primũ hoc hortenſiũ Enchiridion, ceu reliquorum ſponſorẽ & fi-

deiussorẽ tantisper apud te obsidẽ retinebis, dum tres alij eius comites ad te proficiscentur, fœnore magno illud redempturi. Si quis institutum nostrum prȩuerterit, & aliis secretorũ agri Enchiridiis describẽdis manum admouerit, ac animi neruos intenderit, magnã profectò apud me gratiã inibit, magnoq́; erit mihi in pretio & honore, tantum abest ut molestus, aut iniurius dici posſit. Quod dum persequetur, ego interim (si per fortunas & occupationes meas licet) rerum agri Calendarium, & rusticũ de Luna Opusculũ, cõcinnare meditabor: quod iamdictis secretorũ agri Enchiridiis usui summo & incredibili futurum mihi persuadeo, cùm ob alia, tum ꝙ agenda in agro mensibus singulis, facili proponet ordine, nõ neglecta ubiq; lunari obseruatione. Vt interim taceã cœlestes iniurias, ex illo non solùm exponendas, sed & præuidendas: quæ sicuti ab horridis & formidãdis sideribus, ut loquitur Plin. excitari solent, ita ualde horrendæ ac formidabiles agricolis esse consueuerũt. Nam ex improuiso dilapidãt et frustrãtur hominũq́; boũq́; labores, certorũ syderum exortu, occasu & culminatione: suffragante duorum Luminariũ & quinque planetarũ appulsu & cõ-

greſſu, ſicuti in noſtris ſuperiorũ an norum Ephemeridibus cœleſtibus oſtendimus, & ſuis locis paſsim deſignauimus. In quibus etiam non omiſimus Solis ac Planetarum radiationes & copulationes cum illuſtrioribus ſtellis inerrantibus, ſignáque Zodiaci ſingulis Lunæ ad Solem ſchematiſmis aſcẽdentia & horoſcopãtia, ſuis diebus diligenter inſerta & adnotata. Quam methodũ & inuentionẽ planè noſtrã, cùm anno ab hinc plus minùs quarto obſeruauiſſet ac probauiſſet uir doctiſsimus & diligentiſsimus Io. Baptiſta Carrellus Placentinus, illam in ſuas multorum annorũ Ephemerides Latinas ſedulò trãsferre, ac ſibi uſurpare nihil eſt cunctatus, nulla noſtri facta mentione, qui (abſit dicto iactantia) eam glaciem illi fregimus, & uiã primi aperuimus: quod hîc ſcriptũ boni conſulet. Sed ad te redeo, Lector optime, à quo peto ut hoc primũ ſecretorum agri Enchiridion, hãc hortenſiũ hiſtoriã iucundè ac hilariter accipias. Hoc ſi feceris, iamiã tibi paratũ de hortenſiũ arborũ Inſitione Opuſculũ pulcherrimũ, & alia, facilè à me impetrabis, ut omnibus ſuis partibus abſolutã habeas hortenſium hiſtoriam. Fœliciter vale, & conatibus noſtris fauere perge.

deiussorē tantisper apud te obsidē retinebis, dum tres alij eius comites ad te proficiscentur, fœnore magno illud redempturi. Si quis institutum nostrum pręuerterit, & aliis secretorũ agri Enchiridiis describēdis manum admouerit, ac animi neruos intenderit, magnã profectò apud me gratiã inibit, magnoq; erit mihi in pretio & honore, tantum abest ut molestus, aut iniurius dici posſit. Quod dum persequetur, ego interim (si per fortunas & occupationes meas licet) rerum agri Calendarium, & rusticũ de Luna Opusculũ, cõcinnare meditabor: quod iamdictis secretorũ agri Enchiridiis usui summo & incredibili futurum mihi persuadeo, cùm ob alia, tum ꝗ agenda in agro mensibus singulis, facili proponet ordine, nõ neglecta ubiq; lunari obseruatione. Vt interim taceã cœlestes iniurias, ex illo non solùm exponendas, sed & præuidendas: quæ sicuti ab horridis & formidãdis sideribus, ut loquitur Plin. excitari solent, ita ualde horrendæ ac formidabiles agricolis esse consueuerũt. Nam ex improuiso dilapidãt et frustrãtur hominũq; boũq; labores, certorũ syderum exortu, occasu & culminatione: suffragante duorum Luminariũ & quinque planetarũ appulsu & cõ-

greſſu, ſicuti in noſtris ſuperiorũ an norum Ephemeridibus cœleſtibus oſtendimus, & ſuis locis paſsim deſignauimus. In quibus etiam non omiſimus Solis ac Planetarum radiationes & copulationes cum illuſtrioribus ſtellis inerrantibus, ſignáque Zodiaci ſingulis Lunæ ad Solem ſchematiſmis aſcẽdentia & horoſcopãtia, ſuis diebus diligenter inſerta & adnotata. Quam methodũ & inuentionẽ planè noſtrã, cùm anno ab hinc plus minùs quarto obſeruauiſſet ac probauiſſet uir doctiſsimus & diligentiſsimus Io. Baptiſta Carrellus Placentinus, illam in ſuas multorum annorũ Ephemerides Latinas ſedulò trãsferre, ac ſibi uſurpare nihil eſt cunctatus, nulla noſtri facta mentione, qui (abſit dicto iactantia) eam glaciem illi fregimus, & uiã primi aperuimus: quod hîc ſcriptũ boni conſulet. Sed ad te redeo, Lector optime, à quo peto ut hoc primũ ſecretorum agri Enchiridion, hãc hortenſiũ hiſtoriã iucundè ac hilariter accipias. Hoc ſi feceris, iamiã tibi paratũ de hortenſiũ arborũ Inſitione Opuſculũ pulcherrimũ, & alia, facilè à me impetrabis, ut omnibus ſuis partibus abſolutã habeas hortenſium hiſtoriam. Fœliciter vale, & conatibus noſtris fauere perge.

SVMMA EORVM QVAE SINGVLIS Capitibus horum librorum explicantur. primus numerus folium, secundus uerò caput designat.

LIBRO I. HAEC CONTINENTVR.

LIBRO II. HAEC DESCRIBVNTVR.

Hoc modo cuiusque Medica singulis Capitibus annexa inuenies, ne te frequens repetitio offendat.

LIBRO III. HAEC TRACTANTVR.

ADMONITIO.

Folio 2. pagina 2. linea 11. corruptum locum ob exẽplaris impeditam, confusam & aliquot locis obliteratam scripturam, quæ operis imposuit, sic corrige & restitue: *Quæ omnia, & multò plura Virgilius post Varronem, & longè ante Columellam & Palladium, &c.* Neque enim me Chronognosis usque adeò fugit aut fallit, ut non intelligam M. Varronem, P. Virgilij natales multis annorum decadibus præcessisse. Si qui sint alij lapsus, illos pro tuo candore (Lector optime) facilè ipse corriges, ac emendabis.

ANT. MIZALDI MONLVCIANI DE Hortorum cura, auxiliis & secretis, Liber primus.

Hortorum institutio, & priscus usus. Cap. I.



Ortos primus Athenis instituisse fertur Epicurus ocij magister, ut Plinius in celebri illa veterũ scriptorum bibliotheca diligenter adnotauit: nam antea moris non fuerat in oppidis rura habitari. Sanè apud priscos Romuli nepotes hortus nihil aliud fuit quàm pauperis agellus, & rustici qualiscunque prouẽtus, uictum innocentissimum & frugalissimum porrigens. Qui tum maximè placebat, quòd igni nòn egeret, sumptibúsque macelli parceret, ac merces cũ herbaceas, tum arboreas, oppidatim uenales quouis tempore exhiberet: re semper expedita, & ad extemporaneum alimentum facili apparatu præsentissima. Quod Virgilius in

Epicurus primus hortorũ institutor.

Prisca hortorum commoditas, & usus.

Moreto, doctè & eleganter (ut omnia) expreſsiſſe mihi uidetur, de Similo exigui horti cultore ruſtico, laboris patientiſsimo, hunc in modum ſcribens:

Non illi ſuſpenſa focis carnaria iuxta,
Durati ſale terga ſuis, trunciq; uacabant:
Hortus erat iunctus caſulæ: quem uimina pauca,
Et calamo redimita leui, munibat arundo:
Exiguus ſpacio, uariis ſed fertilis herbis:
Non illi deêrat, quod pauperis exigit uſus:
Interdum locuples à paupere multa petebat,
Nec ſumptus erat illud opus, ſed regula curæ.
Si quando uacuum caſula, pluuiæ ue tenebant,
Feſtá ue lux: ſi fortè labor ceſſabat aratri,
Horti opus illud erat.

Priſcorũ hortorũ deſcriptio pulcherrima.

Deinde ſubdit,

Verùm non hic domini (quis enim contractior illo?)
Sed populi prouentus erat: notíſque diebus
Venaleis olerum faſceis portabat in urbem:
Inde domum ceruice leuis, grauis ære redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cæpa rubens, ſectíque famem domat area porri:
Quæque trahunt acri vultus naſturtia morſu.

Horti priſcorum, prouẽtus erãt populi.

Hactenus Maro de priſco & ruſtico uſu hortorũ: qui in oppidis antè habitare non nouerunt, quàm gulæ delitiæ, & uentris prodigia, Epicuro duce, ex agris eò commigrare illos impulerũt. Nam uſqueadeo paulatim illecebroſa inualuit uoluptas, ut abſque ulla Orphei lyra, abſque ulla Amphionis teſtudine, arbores, fructus & olera intra muros, etiã à remotiſsimis agris de-

Quomodo ex agris in oppida uenerĩt horti.

duxerit, fecerítque ut nequam in domo cēseretur materfamilias, cui indiligens, & neglectus esset hortus. Verumenimuero recisa longæ narrationis mora, tempestiuum est ut instituti nostri fores aperiamus, & curam, auxilia ac secreta hortorum fœliciter aggrediamur, & cuique dilucidè ac breuiter explicemus.

Parasceue ad seriam hortorum narrationem.

Quæ utilitas expectāda ab hortis. Adhęc quis finis ac scopus esse debeat culturæ illorum. Cap. II.

ILle utilissimum, ac iucundissimū hortum est habiturus, qui & colere sciet, & poterit, ac uolet. Neque enim scire, aut uelle cuiquam satis fuerit sine sumptibus quos exigunt opera: nec rursus faciendi, aut impendendi uolūtas profuerit, absque arte & scientia. Quia caput est in omni negocio nouisse quid agendum sit: quemadmodum ex Varroniano Tremellio appositè tradit Columella. Qui hæc tria ad manum habuerit, & hortum seriò sibi construere uoluerit, duo illi rursus spectanda erunt: utilitas nimirum, & uoluptas: utilitas fructum habet comitem: uoluptas uerò

Qualem exigat dominū & colonum hortus non vulgaris.

Vtilitas & uoluptas hortos bene cultos comitantur.

delectationem, &, ut scribit Varro, iucunditatem. Erit itaque hortus construendus & colendus imprimis ad usum uitæ necessariũ, deinde ad sanitatem ac uireis à morbis reficiẽdas, ut adnotauit Palladius & sęculis aliquot ante eum Florẽtinus, scholæ Græcorum geoponicorũ doctor eximius: postremò ad delectationem ex aspectu, & iucunditatẽ ex odoris fragrantia: omniũque maximè ut & domino, & colono dapibus mẽsas exornet inemptis. Quæ omnia, & multò plura, Virgilius longè ante Varronem, Columellam & Palladium, in suo hortulo elegantissimè hoc Iambico significauit:

Quis finis ac scopus culturæ hortẽsiũ.

Hortus salubreis præbet corpori cibos:
Varióſque cultus sæpè cultori refert,
Olus suaue, multiplex herbæ genus:
Vuas nitenteis, atque fœtus arborum.
Non desit hortis & uoluptas maxima,
Multísque commixta modis iucunditas.
Flores nitescunt discolore gramine,
Pingúntque terras gemmeis honoribus:
O paca præbent arbores umbracula,
Prohibéntque densis feruidum Solem comis:
Aues canoros garrulæ fundunt sonos,
Et semper auras cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, auocat, pascit, tenet:
Animóque mœsto demit languores graueis.
Membris uigorem reddit, uisus capit:
Refert labori pleniorem gratiam:
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Horti cultissimi laudes, fructus & usus.

Mira & inexplicabilis horti commoditas.

Hæc ſunt quæ docta & melliflua Maronis muſa de fructu, vſu & laudibus horti cecinit. Qui, ſi fieri poteſt, in propinquo eſſe debet, ut dictorum commodorum particeps fiat dominus, & frequenter ad illum ueniat, ſéque frequentiùs uẽturum denũciet. Nam ſub hoc metu olitorem & operarios omneis in officio continebit. Vt interim nõ omittã, quòd ueſtigiũ eius agrum impinguare ſolet, ſicuti poſteà dicemus.

Cur horti propinqui eſſe debeãt.

Modus & ſecretũ ædificandæ uiuæ ſepis ac ualidæ, quæ futura ſit horti tutiſsimũ munimentum. Cap. III.

QVoniam extremæ dementiæ cenſetur eſſe, hortum habere ad unguem excultum, probè cõſitum, & curiosè inſtitutũ, qui dies ac noctes pateat tam incurſibus quàm iniuriis deprædantium hominum, & deuaſtantium animalium atque alitum: idcirco de illius munitione & ſepimento omnium primùm hîc ſcribam. Quibus copia ſuppetit, hortos parietibus cingũt ac ueſtiunt. Alij macerias luto & lapide circa illos erigunt. Plerique tenuis fortunæ homines paleato utuntur

Hortũ debere diligenter claudi & muniri.

Variȩ hortorum muniones & ſepimenta.

fimo & limo: aut ſaxa in ordinem congeſta illis coagmētant. Sunt qui foſsis & aggeribus circumdent: quod ſummè uitandum eſt, nam horti humores ita ſubducũtur, niſi fortè locus paluſtris fuerit. Ruſtica turba & plebeia, in ſyluis reciſa ſpineta & arundineta pro munimento illis adaptat. Quod Virgiliũ ſic adnotauiſſe paulò antè docebamus:

Virgilius in Moreto.

Hortus erat iunctus caſulæ, quem uimina pauca,
Et calamo redimita leui munibat arundo.

Sed ſepes ad hũc modum inſtituta, fatigabili labore quotannis ferè eſt reparãda: appoſitíſque adminiculis ſubinde religanda, & inſtauranda. Quæ ſi firmis, uiuíſque radicibus niteretur, colonum magno tædio, impenſa, & ſudore leuaret. Nam præterquàm quòd labi aut euerti neſciret, niſi radicitus effodiatur, etiam ne fulmine quidẽ, nec aquis, nec grãdine, nec uentis aut procellis (uti iam dicta munimenta) imò uerò ne igni, qui cuncta ſolet edomare, aboleri quiret. Huius rationem & ſtructuram Democritus in ſuis Georgicis græcis, longè antè Columellam & Palladium facilè & ingenioſè oſtendit. Opportuno tempore (inquit) colligito rubi uaſtiſsimi, quem ca

Viuæ ſepis ac ualidæ facultas & cõmoditas.

Erigẽdæ uiuæ ſepis ratio ex Democrito.

ninum uocãt, necnon paliuri ſemina maturiſsima: ad hæc oxyacanthæ fructus, & cum erui farina ex aqua, ad mellis craſsitiem omnia macerato: eáque miſcellanea puteales uel nauticos funes aut alios ueteres, detritos, ac iam putreſcentes imbuito, & ita inducito, ut intra illorum fibras & capillamenta recepta ſemina ſeruari poſsint uſque ad uerni temporis initia. Quo tempore ubi ſepes futura erit, duos ſulcos à ſe duobus, tribúſue pedibus ſeparatos, ſeſquipedali altitudine inſtitue: & prædictos funes cum impreſsis ſeminibus leui terra ibi adobrue, &, ſi opus fuerit, identidem irriga. Ita fiet ut intra menſem, plus minus, tenella ſentes ſurgat ac procedat. Quæ adminiculis adiuuanda erit: quibus inter ſe per uacua ſulcorum ſpatia, enata coniungentur ſpineta, futura horti uel agri ualidiſsimũ munimentũ, & aduerſus externas iniurias tutiſsimum propugnaculũ. Columella uirgeã ſepem ſpatio quod ſulcis interiacet erigendam præcipit: quam ſuperſcendant utriuſque ſulci ſentes, & habeant, priuſquam roborentur, in quo conquieſcant. Alij, ut Diophanes inter Græcos geoponicos celebris, & cum illo plærique, uiuã

Pro paliuro quo carem⁹, albiſpini ſemina poteris ſupponere.

Ingenioſum muniẽdi horti ſecretum.

Viuę sepis ędificandæ alia ratio.

sepem hunc in modum erigunt. Virgas rubi crassiores in segmenta & particulas proscindunt, eásque scrobibus palmari altitudine apertis sedulò obruũt, ac quotidie donec germen erumpat, & frondere conspiciantur, fossione ac rigatione, si tempus inuitet, nutriunt ac refocillant: & ita sepem ualidam, tutam ac perennem construunt & ædificant.

De hortorum situ, aqua, & terra. Cap. IIII.

Paleæ & earum puluis sunt hortis inimicissimę.

HOrti ab area, stabulis & fœnario longè siti esse debent, si quidẽ id fieri potest. Nam palearum puluerem, ceu inimicum, ægrè patiuntur ac sustinẽt: imò uerò ne paleas ipsas, quòd olera lædant: quemadmodum scripsit Florentinus Græcus, in suis georgicæ disciplinæ præceptis & institutionibus. Nam hærẽdo folia perforãt, quæ perforata statim adurũtur. Prosunt tamen radicibus, perinde atque stercus, sed ramulis & foliis nocentissimæ iudicantur: adhæc arborũ fœtibus qui lignosi non sunt, omniúmque maximè uitibus, ut alibi scribemus. Horti positio optima &

Horti quęnã

laudabilis erit, si leniter inclinata planicies cursum fluẽtis aquæ per discreta spatia exceperit. In quam rem si defuerit fons, aut imprimẽdus erit puteus, aut, si id nequeas, piscina superiori parte construetur: ut illinc aquas conferente pluuia, hortus per æstiuos ardores excipiat. Quòd si his omnibus facultatibus careris, hortum tribus uel quatuor pedibus altiùs fodies, ad similitudinem pastini, ut loquitur Palladius. nam ita cultus siccitates negliget. In quo id quoque obseruabis, ut quem humoris natura non adiuuat, per partes diuidas: & hyeme ad meridiem, æstate uerò ad septẽtrionẽ spatia colenda conuertas. Iam quòd ad hortensem terram attinet, salsa, cane peius & angue uitari debet, perinde atque amara, si Virgilium audire uelis.

Positio optima & laudabilis.

Secretũ pro hortis siticulosis.

Salsa etenim tellus, inquit, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infęlix: ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat:
Multáque degenerant succos oblita priores.

Salsa terra & amara uitãda.

Optima itaque hortis ea censetur esse, quæ neque æstate ualde resiccatur, neque argillosa est, neque arenosa & aspera, neq; hiatibus per æstus obnoxia, ut scripsit Didymus in suis agriculturæ Cõmentariis græcis. Nam quæ æstate resiccari solet, sata o-

Quęnam terra sit hortis optima.

omnia & implantata perdit, aut eadem tenuia & imbecilla parit: argillosa nimiùm est tenax: arenosa & aspera, contrà: idcirco neque nutrire, neque aquam admittere solet. Terram itaque hortis accommodã deprehendes, si aqua lotam ac dissolutam limum multum habere uidebis. In quo si superauerit aquositas, ineptam ac infœcundã iudicabis. Si manu ac digitis illam contrectando ualde glutinosam aut tenacem repereris, ac si esset cera, prorsus inutilem censebis. Oportebit autem ante omnia elapidatum esse horti solum, ut Plinio placet, adhæc quamminimè rimosum: ne Sol penetrans, plantarum radices exurat. Eligetur itaque optimum ac generosum solum cui semina committas: uel ob id quòd nutricem quàm matrem sæpenumero conueniat partui indulgentiorem esse. Cæterùm, illud nec dissimulandum duxi, nec prętereundum, quòd hortensis terra quæ fluminibus, aut perpetuis aquis circundatur, nõ semper est laudabilis: nam sata & plantata quædam, aqua facilè senescunt, fructúsque (siue herbacei fuerint illi, siue arborei) insipidos ac humidulos plærunque gignunt. Erit itaque terra illa temperatæ ubertatis,

Terrę hortẽsis probatio.

Quænam terra laudabilis & generosa dici debeat.

& culturæ facilis, quæ nec madida eſt ualde, nec ſitiens: ad hæc, quàm recenter effoſſam alites quærunt, & maximè corui, foſſoris ueſtigia comitantes. Si improba fuerit, quidam emendari dixerunt, ſi ſuper tenuẽ, pinguis iniiciatur, aut gracili, aridulæque, humida ac præpinguis miſceatur. Sed hæc operæ eſt demẽtia, inquit Plinius. Quid enim poteſt ſperare qui talem colit? Iuuabitur itaque optimè ſtercore, de quo nobis nunc demum dicendum.

De hortenſium ſtercore, & ſtercoratione. Cap. V.

NOn defuerunt apud priſcos qui hortorum ędibus plęrunque uicinorum ſtercorationẽ penitus damnauerint: quòd ea non modò aërem inficiat, ſed etiã hortenſia quæuis inſuauiora & corruptibiliora reddat. Et hac in re maximè laudant Heſiodum, qui in ruſtico opere ſciens omiſerit agrorum ſtercorationem, ſalubritati potius conſulere ſatagens, quàm fertilitati. Sat ſupérque eſſe arbitratus, ex lupinorum, fabarum, piſorum, cicerum, & aliorum foliis ac folliculis tempeſtiuè ſubuerſis,

Stercoratio à nõnullis priſcorum damnata.

Antiqua agrorum ſtercoratio.

agrum pinguescere, non uerò putri ac pestilenti materia imbui: quæ in sata quibus quotidie uescimur, plerunque transire solet, noxa irreparabili. Huius opinionem cùm nec ueteres, nec recentiores agricolæ sequantur, probéntue, aptam stercorationem ubique prædicantes & commendãtes, idcirco de illius natura & usu hîc pauca scribere constitui: omniúmque primùm monere, ꝙ proba terra multo stercore nõ indiget: arida & tenuis copiosissimo: arida tantũ (inquit Maro) ne saturare fimo pingui pudeat sola. Quæ uerò media est, mediocri lætatur. Addo, quòd stercus bonũ, terram bonam meliorem reddit, & malam ac uitiosam summè iuuat ac emendat: malum uerò omnia deteriora facit. Præterea, quòd terra non stercorata alget: plurimũ uerò stercorata, aduritur. Vnde satius est id sæpè facere, ut tradit Columella, quàm supra modum. Oportet autem plantãtem hortulanum, stercus ad radices statim non iniicere, sed primùm tenuem terram illis immittere, deinde stercus, quod rursus terra tegẽdum erit. Ita enim neque comburentur plantæ, neque stercoraria caliditas ilico exhalabit. Quod ad præstan-

Stercorandæ terrę modus.

Quomodo iniiciendum stercus.

tiam attinet, Grçcorum geoponici, quibus subscribunt Latinorum plerique, columbinum stercus prçstare aiunt, quòd sit multa caliditate præditũ, ex quo rarius proiiciendum censent, & ueluti semen spargendum, ut terram posſit fermentare, & non aceruatim ponendum, ut solet pecorum stercus, quemadmodum scribit M. Varro. Est etiam uolucrum laudatisſimum ob acrimoniam, præterquam palustrium & natantium propter superfluam & excrementitiam humiditatem. Quanquam & hoc postremum aliis remistum utile esse potest, ut ex Quintiliorum Græcis georgicis testatus est idem Varro. Secunda laus asinino debetur, quòd natura fertilisſimũ sit, ac minimùm herbarũ procreet, omnibúsq; plantis summopere prosit, & olera suauisſima ac dulcisſima reddat. Tertio loco habetur caprinum, acerrimum existens: quod ouillum sequitur, pinguius tamẽ: post hoc uerò bubulum: deinde suillum illis multò præstantius, nisi ob multam caliditatem sata perureret. Vilisſimũ omnium & deterrimum, ex Græcorum sententia, est equorum & mulorũ, si solùm per se iniiciatur: acrioribus tamen utiliter remiscetur. Ve-

Stercorum præstantia. Columbinũ.

Volucrum.

Asininum.

Caprinum.

Ouillum.

Bubulum.

Suillum.

Equinum.

rumenimuero illud præ omnibus & olitoribus & colonis summè est obseruandum, ne annuo stercore, si fieri potest, utantur: nam præterquã quòd nullius est utilitatis, bestiolas etiam quãplurimas gignit: triẽnale ualde bonum existimatur: longiori enim tempore quicquid habuit fœtidi ac mali uaporauit: & si quid durum inerat, remolliuit ætas. Vt ut fuerit, stercus omnium optimum herbis ac oleribus censetur esse cinis tenuissimus, natura calidus. Nam pulices hortenses, uermes, erucas, limaces, ac animalcula alia stirpes depopulãtia, occidit, uel abigit. Prædictorum tamẽ inopia, in usum uenire poterunt reliqua, ligonibus sæpenumero transmutata & con fusa. Sed non ignorabis aquosum hortum maiorem stercoris copiam desiderare, siccum uerò minorem. Quòd si nullum stercoris genus suppeteret, sabulosis locis cretam iniicere optimum erit: cretosis uerò ac nimium densis, sabulum. Atque ita hortẽsia non solùm læta excitabuntur, sed etiam pulcherrima euadent, quemadmodum adnotauit Columella Romanorum hortorum cultor diligentiss. & doctissimus. Sit hoc Plinij postremum: Quocunque tẽ-

Recens stercus hortis inutile.

Oleribꝰ stercus optimũ cinis tenuissimus.

Quid agendum in stercoris penuria.

Quænã obseruanda in stercorando horto.

pore hortum, uel agrũ ſtercorare libuerit, ualde curandum eſt, ut ab occaſu æquino ctiali ſpiret uentus, ſitque Luna decreſcens ac ſicca. Nam obſeruatione tali mirum in modum augetur ubertas: ſicuti poſt Græcos, adnotauerunt Latinæ ruſticationis doctores.

De hortenſium ſatione, & ſeminibus. Cap. VI.

ANtequam de hortenſium ſatione ali-quid ſcribam, iuuat pręmonere, multùm conferre horto iter commodum ad domini præſentiam. Qui libentius per illum commeabit, & acta aut agenda obſeruabit, ſi nõ reformidet uexationem, eritq́; ueſtigium illius ſtercoris loco, quemadmodum ſcripſit M. Cato, rerum agri priſcus interpres ad unguem factus. His poſitis ad rem uenio. Nõ ſum neſcius quoſdam præcepiſſe hortum uel agrum non eſſe diſſeminandum, niſi cùm terra pluuiis permaduerit. Quæ ſi tempeſtiuè & opportunè deſcendant, non improbo. Si, quod nonnunquam euenit, tardè labantur, quantumuis ſitienti horto uel agro ſemen committi po-

Horto multùm conferre iter commodum.

Quando ſeminãdus hortus.

terit, ex Columellæ ſententia. Quæ res in quibuſdam prouinciis, ubi cœli ſtatus talis eſt, uſurpari ſolet. Nam quod ſicco ſolo ingeſtum eſt, perinde ac ſi eſſet domi repoſitum, non corrumpitur. Atque ubi uenit imber, multorum dierum ſementis uno die ſurgit: ſed ab auibus & formicis interim periclitatur: niſi ante ſationem ei ſuccurratur illis auxiliis, quæ proximo capite exponemus. Vt ut fuerit, dabitur opera ut hortus uel ager qui uere conſeri debet, ſub finē autumni ante gelicidia paſtinetur. Et qui autumno oleribus aut herbis ueſtiendus erit æſtatis initio conuertatur: ut hybernis frigoribus, uel æſtiuis Solibus (de magnis hortis loquor) gleba ſoluatur: ex Maronis præcepto hunc in modum ſcribentis:

Hortēſis philoſophia pulcherrima.

-glebáſque iacenteis
Puluerulenta coquat maturis Solibus æſtas.

Adhęc ut prauarum herbarum radices necentur. Cúmque ſationis appetet tempus, quod unicuique regioni ſuum eſt ac proprium, runcādus erit ac prorſum exherbādus hortus: dein quo dictum eſt modo ſtercorandus. His peractis in areas digeretur: quæ ita informandæ erunt, autore Columella, ut runcantium manus ad dimidiam latitudinis

Quænam agenda ante ſationē hortenſium.

latitudinis partem facilè peruenire poſsint: ne dum herbas inutiles illæ perſequuntur, ſemina pedibus interim proculcet olitor. Verũ ſummè adnitendũ erit, ut ſationi ſerenitas, & tẽporis clemẽtia ſuccedat. Nã fauente cœlo, tepentibus locis & à Sole illuſtratis citiſsimè prorumpunt ac pullulant ſemina: quibus ætas etiam nonnihil conferre ſolet. Quapropter uidendum erit, ut ſcribit M. Varro, ne uetuſta, exucta, miſta, emaciata, languida, aut adulterina ſint ſemina: quin potiùs uegeta, recentia ac ſucculenta. Quæ dum proiicientur, boreales dies ac ualde frigidi uitabuntur. Nam in his, terram ueluti horridulã & occluſam, ſemina ægrè recipere ac fouere manifeſtũ eſt: diebus ſerenis ac temperatè calidis, cõtrà. Quod Virgilium georgicæ diſciplinæ doctorem eximium ſic præcepiſſe audies.

Tẽporis clemẽtia ſationi opportuna.

Frigidis temporibus nec arãdum, nec ſerendum.

Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat autor,
Tellurem Borea rigidam ſpirante mouere:
Rura gelu tum claudit hyems: nec ſemina iacta
Concretam patitur radicem affigere terræ.

Si uerò timor fuerit ne frigoribus, pruinis, ardoribúſue perurantur, paleis contegi poterunt: quibus tranſuerſæ uirgę imponentur, & uirgis arundines aut ſarmenta, ex Columellæ præcepto. Sunt apud Græcos

Satorum defenſio.

rerum agri ſcriptores, qui ſemẽtem augeſcente Luna, à quarta ſcilicet uſque ad plenam, facere conſulant, dum ſub terra eſt. Alij ſecuriorem uiam excogitantes, ſationem præcocem non probant: quare in duo & tria, & quatuor tempora illam partiuntur: futuri temporis incertitudinem hoc modo uitare ſatagentes: & ruſticanum Columellæ adagium in memoriam reuocantes, Serere ne dubites. adhæc Virgil. illud,

Satio quandoque partienda.

Et dubitant homines ſerere, atque impendere curam!

quod ad cerealium ſationem potius detorquerem, quàm hortenſium. Oportebit itaque eum qui ſeriam olerum plantationem inſtituit, uidere ut proba ſint ſemina, terra apta, ſtercus bonum, & aqua prompta. Nã proba ſemina, quæ inde generabũtur ſimilia efficient: terra apta, ſibi credita optimè ſeruabit ac fœcundabit: ſtercus ſucculentiorem reddet terram, adhæc laxiorem, ut aquam facilius admittere poſsit, quæ radicibus impertiatur: aqua uerò, quaſi ex ubere omnia alet ac fouebit.

Superiorum compẽdium breue iuxtà ac ingenioſum.

Auxilia & ſecreta pro hortẽſibus ſeminibus, tam ante ſationẽ quàm poſt: ne ab aliqua cùm interna, tum externa afficiantur iniuria. Cap. VII.

FRustra ſudabit hortenſis colonus, & quiuis alius, ſi ſata à beſtiolis lædantur, uel ab alitibus depopulentur, aut alia quauis iniuria afficiantur, ſiue intus illa contingat, ſiue foris fiat. Quod ut uitare poſsit, opportunè ad ſequentia auxilia & ſecreta animum conuertet. Si ſemina terræ mandanda ſucco ſemperuiui paulò ante ſationem madefacta fuerint, ab auibus, formicis, agreſtibus muribus, & aliis hortorũ prædonibus, non ſolùm illæſa ſeruabuntur, ſed quæ inde naſcentur, etiam præſtantiora euadent de Africani experimento, ut in Græcis rerum agri Commentariis illius adnotatum, & à Latinis agriculturæ autoribus repetitum obſeruaui. Quod uerisſimum eſſe tametſi docuit experientia, tamen quia herbæ huius larga ubique non poteſt eſſe copia, fuligine quę ſupra focos inhæret, ſatis omnibus incolumitatem tueri etiam licebit, ſi collecta, pridie quàm ſatio fiat, cum ſeminibus miſceatur: uel illius aqua ſemina ipſa cõſpergantur, ut tota nocte ſuccum trahant ac ebibant: quemadmodum ſcripſit Columella. Eadem à malis omnibus & hortenſibus monſtris tuta ſeruari tradunt Græci geo-

Secreta pulcherrima ꝑ ſeruandis in terra ſeminibus abſque ulla noxa.

Vt ſata ſeruentur incolumia.

Auxiliũ aduerſus mon-

ſtra horten-
ſia.

ponici, & poſt illos Plinius & Palladius, ſi equæ, aut aſinæ caluaria, ſed non uirginis, intra hortũ ponatur: uel in eius medio, affixa palo erigatur. Nã quæcũque ſpectabit, ſua pręſentia fœcũdabit & illęſa cuſtodiet. Addit Plinius eſſe alliũ in aruis, alum nũcupatũ, quod aduerſus improbitatẽ alitum ſemina cruentiũ ac depopulantium, coctũ (ne poſsit renaſci) utiliter obiicitur. Hoc quæ deuorauere, ſtupentes manu capiuntur. Africanus ad eam rem modicum frumentum uel hordeum uino incoctum, aut infuſum, ueratro admiſcet: ac foris per a-rearum horti ambitũ diſſeminat: ſata quęuis ab auium iniuria hoc modo uindicans. Sed eas mortuas, uel inebriatas, arundini ex pedibus ſuſpendi iubet. Nec omittit cãcrorum fluuiatilium decoctum, quo ſi ſemina conſperſeris, ab alitibus (res mira) nunquam aggredientur: imò uerò quæ ex his naſcentur, durabunt ſalua & immunia ab omnibus beſtiolarum iniuriis. Sunt qui plantas ſola decocti huius aſpergine, fœlici ſucceſſu, tantùm perfundant. Quæ res mihi, & amicis plus millies fuit probata, ſed certa lunari periodo. Nonnulli contuſa cyparisſi folia, ſeminibus remiſcent, eã-

Secretum ne ſemina ab alitibus depopulentur.

Res mira de cancrorum decocto.

Vt ſemina ab omni corroſione liberentur.

que miſcellaneam ſubactæ & ſtercoratæ terræ committunt,& ita ab omni corroſione, inde naſcentia liberant. Alij cerui, aut elephantis cornu ſiccum & conciſum, uel deraſum aut elimatum, ſeminibus remiſcent: uel aqua madefactionis illorum ſpargenda ſemina imbuunt. Virgilius nitro aqua diluto eadem irrorãda, uel amurca tingenda conſulit.

Seminũ medicamenta ex Virgil.

Semina(inquit)uidi equidẽ multos medicare ſerẽtes,
Et nitro prius,ac nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet:
Vt quanuis igni exiguo properata maderent.

Græcus Apuleius illa uino conſpergit, atque ita minùs ægrotatura exiſtimat. Quæ etiam iuuabuntur aqua & amurca reſperſa. Sũt græcę agriculturæ doctores aliquot, à Columella, Plinio & Palladio probati & laudati, qui cucumeris ſylueſtris radices totam diem & noctem aqua macerant, eámque ſeminibus, repetita aſpergine, ſuffundunt: & poſtridie, pallio uelata ſemina illa, terræ committunt: hinc arbitrãtes meliora euaſura, & à malis omnibus certò eripienda. Idem Apuleius lẽtem modicam dum ſeruntur, illis remiſcendam cenſet. nam aduerſus uentorum moleſtias natura reſiſtit. Vult prætereà pro ſatorum incolu-

Græcorum & Latinorũ agricolarum ſecretũ pro ſeminibꝰ pulcherrimum.

mitate, ante paſtinationem & foſsionem ranam Rubetam Græcis phrynon dictam, noctu circa hortum, uel agrū deferri: poſtea in fictili uaſe incluſam, medio horto, uel aruo adobrui: quæ appetente ſationis tēpore effodietur, ac procul abiicietur: ne ibi naſcentia, amara & inſuauia euadant. Sed pulchrum erit huc proferre elegantiſſimos Columellę uerſus, quib⁹ medicamēta ſeminibus ſanè q̃ appoſitè præſcribit.

Rubetæ ranæ ſecretum magnum.

Profuit interdum (ait) medicantem ſemina, pingui
Palladia ſine fruge ſalis, conſpergere amurca:
Innatáue laris nigra ſatiare fauilla:
Profuit & plantis larices infundere amaros
Marrubij: multóque ſedi contingere ſucco.

Columellæ medicaméta pro ſeminibus tuendis.

Aegyptiorum, Græcorúmque agricolarū ſchola tradit ſemina incorroſa, & à beſtiolis illæſa permanere, quæ Luna ſemiplena terræ mandata fuerint. Hîc penè pręterieram phyſicum pro ſeminibus & plātis Democriti experimentū, à Neapolitano Palladio diligenter adnotatum. Paguros (inquit) ſeu marinos cancros, uel fluuiales, nō pauciores quàm decem, in uas aliquod aqua plenum miſſos, tegito: & ſub dio exponito, ut diebus decem inſolētur: poſtea ſemina quę uoles in terra illęſa permanere, aqua illa ad dies octo perfundito: ídque o-

Democriti phyſicū experimétum ne à iumētis aut pecore lædātur ſata.

ctonis diebus peractis, ut uult Palladius, repetito, donec quæ optaueris solidè adolescant: experimentum miraberis. Nam ex seminibus illis quæcunque nascentur, non solùm à se iumenta & pecora arcebũt, sed etiam bestiolas quasuis. de quibus paulò pòst scribemus, & sparsim de aliis seminum auxiliis, ut se proferet occasio, dicemus.

De hortensium sarritione, runcatione, & rigatione: cum prognostico fertilitatis, uel sterilitatis cuiusque sementis. Cap. VIII.

PEracta ritè semente, sarritionis sequẽs debet esse cura, de qua inter autores agriculturę non admodum conuenit. Nam quidam negant eam quicquam proficere, quòd hortẽsium radices sarculo detegantur, & plerunque succidantur: atque si frigora incesserint, gelu prorsus enecentur. Ex quo satius esse putant runcatione & expurgatione tempestiuè uti. Pluribus tamen sarriri placet: sed neque eodem modo neque iisdem temporibus: pro incolarum consuetudine, soli ingenio, & cœli statu. Vt ut fuerit, his locis in quibus sarritio desiderabitur, non antè aggrediemur, quàm

Cõtrouersia inter agricul turæ autores de sarritiõe, & eius modo ac tempore.

hortensia proprias areolas uestire occœpe- rint, & grandiusculum incrementum, pro cuiusque natura & modulo, ritè admise- rint. Sarritionem sequetur runcatio: in qua diligenter cauendum erit, ne germina, te- nellósue partus & flosculos iniurioso tactu, aut transitu lædamus, uel tractemus. Qua- re illam suscipiemus aut antè, aut ubi de- floruerint plantæ, uel ubi solidas radices e- gerint. Ad rigationem uenio, quę Solibus æstiuis, & maximè circa exortum Canicu- læ, summopere solet prodesse ac probari: hora, inquam, matutina ac uespera, ut uult Plinius: cui subscribit ratio, nimirum ne à Sole inferuescat aqua, & radices adurat. Sed ne tum quidem nimię debent esse riga tiones, quoniam inebriatis radicibus no- cent. Pro quibus haurienda non est aqua putei altissimi: ne nimia frigiditate & cru- ditate radices percellat. Quòd si alterius pręsens non adfuerit facultas, horis aliquot antè haurienda erit, & sub dio exponenda, ut tepescat. Rigationis modum stirpium ætas temperabit. Nouellę enim plantę mi- nus sitiunt: & quę assueuere, summè riga- ri desiderant. Idque leniter ex clepsydra, ut ęqualiter bibāt radices, & non immer-

De rūcatione, & quid in ea obseruandum.

Rigationis opportunum tēpus, & qualis debeat esse aqua.

Rigationis modus & formula.

gantur: nam ita animam terræ exhalatione uaneſcentem retinent. Ergo non uniuerſim ingurgitabuntur plantę, ſed quomodo ſitient, ita ſtillabitur aqua, uelut ex ubere alens, & non inundans. Sed in re pueris & uirgũculis notiſsima, uerſatum ſatis. Iam quòd attinet ad prognoſticon fertilitatis aut ſterilitatis ſeminis cuiuſque, tam ſati quàm ſeminandi, hac uia procedes ex Zoroaſtris & ueterum Aegyptiorum experimento. Diebus uiginti aut triginta ante Caniculæ exortũ (qui in hac Gallica cœli inclinatione, ferè contingit circa decimamſeptimam diem Iulij) in quopiam loco diligenter ſubacto, de unoquoque ſemine legitimo & recenti, probationis gratia, diuiſis ſpatiis ac ſignatis, paululum ſeres: & ſi aëris urgebit incendium, opportunè rigabis: ut proiectum in aridam commodiùs pullulet, & ante coſmicum dicti ſyderis exortum, tempeſtiuè ſe prodat. Hoc peracto, ſedulus obſeruabis, exorto Procyone, quodnam è iactis ſeminibus incolume, uegetum ac illæſum emerſerit, & durauerit: atque illud fertile ac fœcundum euaſurum prędices: reliquum uerò quod non prodiit, aut uietam, languidãque & flaccidam plã-

Prognoſticõ fertilitatis, uel ſterilitatis ſeminum quorũcunq;.

Mira ſyderis Caniculæ uis in ſata.

tulam emisit, inutile ac sterile futurum tibi suadebis. Nam certo certius est, insanũ & æstuans Caniculę sydus, per illa sua canina incẽdia, quædam ex satis lędere, alia minimè. Ex quo, noxę, uel beneficij indicium per annum futurũ unicuique sementis generi, sydus natura aridum ac feruẽs, pręsenti exitio uel salute nunciabit ac pręmittet.

Canicula sydus natura aridũ ac feruens.

Auxilia & secreta aduersus hortenses uermes, pulices, erucas, blattas & limaces, tam olera quàm arbores & fructus uitiantes ac erodentes. Cap. IX.

NEmo est qui passim non uideat, nisi fortasse talpa fuerit, hortenseis diuitias à certis bestiolis & animalculis, tam sub terra, quàm supra, uariè infestari, & eam ob rem plerunque ægrotare, atque nisi auxiliares manus opportunè adfuerĩt, tandem succumbere & occumbere. Nam tanta, támque inexpugnabili acie pestifer ille exitialium bestiolarum exercitus nonnunquam grassatur & irrumpit, ut nullis admotis machinis, nullo igni, nullo ferro, ab hortis & agris, in quibus semel castrametatus fuerit, abigi possit ac diuelli. Rem

Hortensia uariis iniuriis obnoxia esse.

Difficilis quãdoq; hortensiũ bestiolarum expugnatio.

itaque olitoribus & colonis gratiſsimam facturũ me cogitaui, ſi aduerſus iſtam deploratam peſtem, claſsicum (quod dicũt) canerẽ, & alexipharmaca aliquot, partim mihi, partim amicis meis nota, & à priſcis explorata in mediũ proferrem. A uerbis itaque ad rem, ſi placet, ueniamus. Hortẽſia à noxiis uermibus repurgari ſcribit Africanus inter Grçcorũ agricolas ſummus, ſi eorum latibula & conceptacula ſuccenſis bubulis ſtercoribus, ſecundo uento, fumigentur. Plinius amurcam puram ſine ſale illis ſpargit. Et ſi plantarum radicibus, ob fimi malitiam, inhæſerint, diligentiſsimè ſarrit. A pulicibus non lædentur, ſi naturali auxilio, erucam herbam pluribus locis admiſcueris. Quòd braſsicæ imprimis conuenire certum eſt, ſolitæ de omnibus oleribus, à pulicibus ſummè infeſtari cùm raphano, quem oſtendemus ſecũdo libro, gentilem ac affinem illi eſſe. Anatolius in ſuis Georgicis prçceptionibus Grçcis, cẽſet nonnihil erui ſementi eam in rem addẽdum. Quod raphanis & rapis prodeſſe, antiquo experimento conſtat. Iuuat etiam acre acetum, ſucco hyoſcyami contemperatum, & beſtiolis illis reſperſum. Adhæc

Auxilia aduerſus hortẽſes uermes.

Aduerſus hortenſes pulices remedia.

aquæ aſpergillum, ut tradit Græcus Pamphilus, in qua gith, ſeu melanthium permaducerit. Verùm ſi ab aliis etiam animalculis ſemina lædi, aut uitiari noles, ante ſationẽ, ſedi aut ſemperuiui ſucco, ut priùs adnotauimus, illa imbues. Quæ etiam incorroſa ſeruabis, ſi in teſtudinis teſta ſeminaueris, quemadmodum idem ſcripſit Anatolius. Quo loco nõ omittam ex Palladio, quòd infeſta animalcula non generabunt olera, ſi in eiuſdem teſtudinis corio, ſpargenda illorum ſemina ſiccaueris: uel mentam locis pluribus, maximè inter caules, conſeueris. Quòd ad erucas & campas attinet (quæ multis magnum & moleſtum negocium faceſſunt, deplorata hortorũ, & uinearum calamitate) nonnulli reſperſo ficulneo cinere illas perſequuntur. Sunt qui in hortis ſcillam, uel, ut cum vulgo loquar, ſquillam areatim ſerant, aut hinc inde ſuſpendant. Alij fluuiatiles cancros clauis, pluribus locis affigunt. Quæ ſi obſtinatè reſtiterint, & pręſcriptis auxiliis pugnauerint, hanc oppones machinam. Vrinam bubulam & amurcam æqualiter miſta, igni donec ferueãt, admouebis, & ubi refrixerint, illorum imbre olera ac arbores

Seminum ſecreta à ſuperioribus diuerſa.

Varia aduerſus erucas auxilia & ſecreta.

conſperges: quod Anatolij eſt experimentũ. Plinius uirgis ſanguineis quæ his ſunt obnoxia tangenda pręcipit. Palladius fuſticulos, uel, ut Ruellius legit, faſciculos alliaceos ſine capitibus, per omne horti ſpatium comburit. Adhæc ueſpertilionũ ſtercora, ut nidor è fumo pluribus locis excitetur. Quæ res præſentiſsimum habet miraculũ. Eaſdem tradit polyhiſtor ille Plinius, ab oleribus arceri, ſi cicer unà ſeratur & illis remiſceatur: aut cancri ramis arborum à cornibus locis pluribus ſuſpendãtur. Naſci quoque prohibentur, imò uerò præſentes collecti imperduntur, ex Græcorum obſeruatione, ſi aliquot de uicino horto ſublatas, in aqua cum anetho coxeris, eáque perfrigerata herbas aut arbores reſperſeris quæ nidulantes erucas, & ad fœtum incubantes ſuſtinent. Sed ualde cauẽdum erit, ne aqua illa faciem, uel manus contingat. Porrò, remedium certum ac paratu facile erit, ſi circa arborum crura, aut herbarum brachia, bitumen & ſulphur incendas. Vel fungos ſub nucis arbore naſcẽteis, fumũ dare ibidem cogas: galbanúmue, aut caprarum ungulas, uel ceruinum cornu, à uenti flatu auerſus, cõburas. Sunt

Auxilium factu & paratu facile contra erucas.

Mira Græcorum agricolarum ſolertia in exterminandis erucis.

Aſpergillum ſingulare ad abigendas erucas.

qui cinerem uitigineum per triduum in aquam mittant, qua poſtea olera & arbores copioſa aſpergine luſtrant. Multi in ficulneo lixiuio proiicienda ſemina præmacerant. De miraculo menſtruatæ mulieris, & prodigioſa eam in rem hiſtoria à Græcis & Latinis rerum agri profeſſoribus tantopere celebrata, abundè tractauimus in fine ſecundi libri noſtrorum naturæ Arcanorum. Cuius deſiderio ne tu interim hîc tabeſceres, ex Columellæ doctiſsimis & elegantiſsimis uerſibus quicquid id eſt, paucis expedire uiſum fuit. De perdendis itaq; & abigendis erucis ad hũc modum in ſuo ſcribit Hortulo, ex Democriti ſententia:

Menſtruatę mulieris miraculum contra erucas.

Hanc ſi nulla ualet medicina repellere peſtem:
Dardaniæ ueniant arteis, nudatáque plantas
Fœmina, quæ iuſtis tum demum operata iuuentæ
Legibus, obſcœno manat pudibunda cruore:
Et reſoluta ſinus, reſoluto mœſta capillo,
Ter circum areolas, & ſepem ducitur horti.
Quæ cùm luſtrauit gradiens (mirabile uiſu)
Non aliter quàm decuſſa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, uel tectæ cortice glandis,
Voluitur ad terram diſtorto corpore campe.

Hactenus Columella de expiandis erucis. Quod prẹſtigium referre puduiſſet, niſi à multis expertum fuiſſet: ſcripſiſſétque doctiſs. medicus Ioan. Langius illud in Noricorum terris obſeruatum & approbatum

fuisse. Plinius tradit non solùm hac arte erucas decidere, sed & uermiculos, scarabeósque, & noxia alia animalia. Quod à Metrodoro Sceptio in Cappadocia ob cãtharidum multitudinem inuentum esse prodit. Sed cauendũ, inquit, ne id oriente Sole faciant mulieres, nam ita aresceret sementis, & florida horti amœnitas pessum iret, elanguente eius nitore & sensim tabescente: usqueadeo uirosa & pestilens uligo illa, uisu, nedum attactu, perniciosa esse solet. Nostrates hortensium coloni, arte admodum facili easdem sic hodie passim expugnant. Vbi apricis locis illæ post pluuias incesserunt, matutinis horis frutices olerum, aut ramos arborum succutere solent: sic enim dum adhuc nocturno torpẽt frigore, facilè decidunt, nec amplius ad superiora perreptant: præbéntque occidenti uiam admodum pronam ac præsentem. Cæterùm, si cuiuscunque generis animalcula oleribus & arboribus nocentia perdere uoles (quę Democritus in suis Georgicis prasocurides, Palladius latino aptóque uocabulo herbicidas, Ruellius uerò porricidas nuncupauit) Diophanem Græcum ausculta. Ventriculum ueruecis (inquit)

Summè notanda & excutienda.

Rusticorũ in expugnãdis erucis artificium promptũ ac facile.

recenter mactati, & suis adhuc sordibus excrementitiis pleni, diligenter tibi comparato: eúmque spatio illo, quo bestiolis scatet hortus, terra leuiter adobruito. Peracto biduo, ibi blattas & animalcula alia gregatim congesta reperies: quæ uel aliò deportabis, uel eo loco altissimè defodies, ne resurgant: id cùm bis, uel tertiò feceris, genus omne quod nocebat extingues, ac uerè perdes. Rustici apud nos paleis intortis arborum truncos armant, & crura coronant: quibus, summa arborum petentes erucæ implicãtur, ac ueluti obiectis laqueis & compedibus, uel profligantur, uel sic à cœpta uia actutum reuocantur. Quod ad limaces particulatim attinet, si uel amurcã recentem, uel ex cameris fuliginem illis resperseris, oleribus non minùs commodabis, quàm si inter illa cicer cõseueris, ad hortensium multa portenta, ut superiùs scripsimus, utile. Alia ex præcedẽtibus auxilia requires. Et si uiridem ac floridum hortum habere uoles, illius sulcos, areas, & puluinos fœno græco ex aqua trito diligenter rigabis: aut asini caluariam, non uirginis, ut antea monuimus, in medio illius eriges. Iulius Frõto tradit olera omnia summè

Rustica erucarũ muscipula.

Auxilia aduersus limaces.

Vt hort⁹ fiat floridus.

ſummè iuuari, ſi iuxta illa, eruca herba, ſata plantatá ue fuerit. Sed intoleranda fiet hortenſi colono iniuria, ſi anſerum ſtercus muria ſolutum, oleribus reſpergatur: quē admodum Democritus, Fronto & Damageron in ſelectis Græcę agriculturæ præceptionibus poſteritatem admonuerunt.

Qnomodo olitori fiat iniuria.

Auxilia & ſecreta aduerſus hortenſes talpas, formicas, culices, muſcas & ranas, tā olera quàm arbores & fructus euertentes, lædētes ac depopulantes. Cap. X.

QVia talpæ in pleriſque hortorum locis tumulando & fodiendo, proindéque terram ſeminibus onuſtam, uel plantis ueſtitam eruēdo ac euertendo, olitoribus, iuſta cauſa, moleſtæ ſolent eſſe, ac illis negocium quandoque inexpugnabile facere, idcirco auxiliares machinas aduerſus excœcatam illarū aciem, ex penitiſsimis Græcorum & Latinorum ruſticis armariis, huc proferre & adferre uiſum fuit. Paxamus, ut hinc auſpicer, nucem, aut uaſculum quodpiam anguſtum & ſolidum perforari iubet: ibíque paleas & cedriam, uel (ut legit Palladius) cerā,

Talpę cur olitoribus moleſtæ.

Ingenioſa Græcorū machina ad talpas expugnādas.

quantum opus fuerit, cum ſulphure includi: omnéſque talparum aditus & ſpiramenta diligenter obſtrui, ne per ea fumus penetret. Ita tamen, ut unum tantùm os, & foramen relinquatur, quod amplum ſit: in cuius oſtiolo, dicta nux aut uaſculum intus accenſum, ſic collocabitur, ut ab una parte flatum poſsit accipere, qui cedriæ & ſulphuris nidorem in talpæ tumulum diffundat. Eo artificio impletis fumo cuniculis, talpas omneis uel protinus fugere, uel enecari deprehendes. Sunt qui ueratrum album aut cynocrambes corticem tuſum & cribratum, & cum polenta & ouis rigatum, uinóque & lacte ſubactum in offas & paſtillos cogunt, ac eos talparum cauernis immittunt. Albertus, allio, cepa, uel porro talpina oſtiola claudit: putátque tetri odoris iaculatione intus expirare, uel ſolum uertere. Plerique ad has abigendas feles in hortis educant, ac muſtelas cicurãt, ut ſuo uenatu peſtem hanc arceant, cuniculorum faucibus ac ſpiraculis admotæ. Alij foramina earundem rubrica & ſucco cucumeris ſylueſtris implent ac ſaturãt: uel captã unã cum accenſo ſulphure in ollam proiiciunt, putantes eò conuenire alias omneis.

Varia abigẽdarũ aut necandarũ talparum artificia.

Talparũ fuga, & uenatio.

Non desunt qui illarum ostiolis laqueos setaceos adhibēt. Rusticis satis est uirgam, aut foliaceum sambuci ramū defixisse. Plinius sola amurca necat. Qui de formicis posteritatis memoriæ hæc etiam mādauit. Sunt arborū pestes (inquit) formicę: quas abigunt rubrica & pice liquida perunctis caudicibus: necnon & pisce iuxtà suspēso, quem Palladius post Græcos geoponicos coracinum, Ruellius graculum nominat: quod Plinius omisit. Nam ita in locū unū congregantur, & facilè disperduntur. Alij lupino cū oleo trito, arborū ac plantarum radices, uel (ut legunt multi) caudices illinūt. Plurimi sola amurca necāt. Palladius contra illarum agmina hoc monstrat propugnaculum. Si formicæ, inquit, habēt in horto foramina, cor noctuæ admoueto: si foris ueniunt, omne horti spatium cinere, aut cretæ candore uel oleo obsignato. Et paulò pòst: Formicas abiges si origanum & sulphur trita, ad illarum foramina resperseris: aut uacuas cochlearū testas cremaueris, & eo cinere myrmecias, formicariá ue antra affatim saturaueris. In quo styracem omisit à Paxamo Gręco, ex quo hæc trāscripsit, additam. Paxami uerba sic ha-

Aduersus formicas auxilia uaria & propugnacula.

Palladius mirus formicarū expugnator.

Formicarũ fuga.

bent. Si captas formicas (ait) in medio hor ti usseris, reliquas fugabis. Adhæc, si circa formicarias cauernulas cedriam obleueris, non egredientur, expellẽtúrq; de suis sedibus, si cochlearũ testacea operimenta cum styrace incẽderis: uel cõtusa per formicarũ agmẽ resperseris. Quod penitus perdetur, si succum cyrenaicũ oleo dissolutum affuderis. Addit præterea formicã nec plantas

Vt formica arborem nõ conscendat.

cõtingere, nec in arbores reptare, si lupinis amaris cum amurca tritis aut coctis, illarũ cauliculos uel truncos sedulò obleueris. Idémq; præstabis, si albã lanam iisdem circundederis: aut creta, uel rubrica, ut nunc nuper diximus origanóue assuetas illarũ uias circunscripseris: nã non modò id plãtæ formicę non attingunt, sed ne arborem quidẽ illa uestitam ascendũt. Quin & vas mellarium ita circunscriptũ nequaquã ab

Formicæ dulcium escarũ appetentes.

illis contingi tradunt, etiam si operculo caruerit: licet mellis, dulciúmq; escarum admodum sint cupidæ formicæ. Palladius rubrica butyro & pice liquida mista, arbores ac plãtas inũgit. Non desunt ex Grçcis qui arborum & uitiũ truncis densam hçderam alligent: eóq; machinamento stabulantes sub eius umbra formicas, ueluti obsides re-

tinent, & mactant. Plerique taurino felle cum amurca & pice idem moliuntur. Sed Plinium repeto, qui ex Sabino Tyro in libro Cepuricôn seu hortẽsium, quem Mecœnati dicauit, præstantissimum aduersus formicas remedium esse ait, limum marinum, aut cinerem obturandis illarum foraminibus, si non sint rigui. At omnium efficacissimè heliotropio herba necantur. Quidam aquam diluto latere crudo, eis inimicam putant. Verùm de formicis hæc satis, uel fortasse plura quàm opus fuerit.

Autoris mira diligentia in conquirẽdis auxiliis aduersus formicas.

Culices fugantur aceti & origani decocto, si respergas, quemadmodum in suis Georgicis adnotauit Democritus. Adhæc rutæ madefactæ aspersione: & sulphuris, aut cimini, aut bubuli stercoris, aut bdellij suffitu, & conizæ decocto. Plinius galbano accenso abigi tradit: & Palladius amurca recente, uel respersa ex cameris fuligine. Muscas Berytius Græcus hoc flagello procul arcere docuit. Si ueratrum (inquit) addito auripigmento cum lacte maceraueris, & illius rore ac imbre locum à muscis obsessum resperseris, omnes uel fugabis, uel perimes. Quod etiam præstabit alumen cum origano & lacte tritum:

Quomodo abigantur culices.

Muscarũ fuga & flagellum.

qua miſcellanea quæcunque illita fuerint, à muſcis non contingentur. Prodeſt etiam laurus cum nigro ueratro tuſa, & in lacte, aut aqua mulſa macerata: eius enim aſpergine, ceu quodam toxico necãtur, aut nũquam rediturę, aliò confeſtim euolant.

Aſpergillum muſcas abigens, uel perimens.

Aduerſus ranas quę æſtiuis noctibus colonis diurno labore fractis, garrula coaxatione moleſtæ ſolẽt eſſe, hoc Africani Græci habeto auxilium & ſecretum. Ranæ tacebunt (inquit) ac uociferari deſinent, ſi lucernam accenſam ante illas poſueris, aut de arbore ita ſuſpẽderis, ut ab eius lumine, ac ſi Sol eſſet, illuſtrari poſsint. Res mihi & aliis multis, plus millies experta. Hieron. Cardanus tradit fel capræ ſepultum ranas cõgregare. Quod hîc poſtremũ erit.

Auxiliũ aduerſus ranarum garrulitatem.

Auxilia & ſecreta aduerſus ſerpentes hortorũ, & alios quoſuis, tam homines, quàm olera, arbores & fructus uenenantes. Cap. XI.

FLorentinus rerũ agri interpres apud Grecos ſummus & diligens, ſcribit ſerpentes in hortis, aut alibi nequaquam ſtabulaturos, ſi abſynthiũ, aut artemiſiam, abrotanúm ue per ambitũ plantaueris, uel in angulis cõmodè diſpoſueris. Qui ſi ali-

Ne ſerpentes in hortis ſtabulentur.

cubi uerſari fuerint aſſueti, ſuffitu radicis lilij, aut cornu cerui, uel ungulæ capri-næ actutum abigi tradit. Palladius omni auſteritate eoſdem fugari, nocẽtéſq; ſpiritus, graueolentis fumi innocẽtia exagitari ſcribit. Democritus mori penitus affirmat ſi quercina folia ſuperiniiciãtur: aut ſi quis ieiunus in illorum os expuerit. Apuleius arundine ſemel duntaxat percuſſos obſtupeſcere contendit: ſæpius uerò, roborari. Tarentinus Grȩcæ agricolationis peritus, eum à ſerpente affici poſſe negat, qui ſucco raphani oblitus fuerit, aut raphanũ ipſum guſtauerit. Quod Athenæus & Galenus cũ pleriſq; aliis, malo medico ſeu citrio aſcribũt, & pulcherrima hiſtoria cõfirmãt: quã libro tertio per occaſionẽ tibi proferemus ac proponemus. Sed ſerpenticìdã Florentinũ rurſus audire moleſtũ non erit. Serpentes, inquit, nunquã accedẽt ubi cerui adeps iacuerit: aut cẽtaureȩ radix, aut gagates lapis, aut aquilȩ, uel miluij ſtercus: fugabitúrq; omne reptile ſi nigellã, pyrethrũ, galbanũ, cerui cornu, hyſſopum, ſulphur, peucedanũ & caprarũ ungulas miſcueris, deinde triueris & acetũ acerrimũ fuderis: cõpoſitíſq; ex ea miſcellanea ſphærulis, fu-

Serpẽtes quo modo necentur.

Mira raphani natura.

Vt locus quiuis ſit à ſerpente tutus.

mum ac uaporē excitaueris. Nā diffuso per aërē rerū istarū nidore, reptile quoduis, ac si flagello ageretur, procul fugere uel expirare animaduertes. Quidam prodiderūt punicæ ramum, ut suo dicemus loco, uenenata omnia, nedum serpentes, fugare. Quapropter stragulis consultò imponi solet iis ædibus in quibus uersari solent serpentes, & uenenosa quæuis animalcula. Quorum agmina in unū locum, ceu pisces in nassam, idem Florētinus cogebat dolio à salsamentis inueterato, & circa hortum, agrum, aut locum alium serpentibus ac uenenatis bestiolis obnoxium, defosso. Nam in id reptile omne confestim accedebat, accedénsq; ultrò illabebatur. Plinius de silere loquens hæc tradit. Serpentes & hunc fruticem refugiunt: baculúmq; rustici ob id ex eo gerunt & circunferunt. Cæterùm, experimento certisimo probatum & confirmatum est, ustis & accensis coriis quæ ueteramentorum sunt, serpentes efficaciter fugari: neque eos modò qui in hortis, agris aut domibus oberrant, sed qui in hominū corpora ingrediuntur, dū per æstatē alto somno opprefsi, aperto ore in cāpestribus obdormiūt. Quod Marcus Gatinaria

Rami punicę uis magna.

Quomodo cogantur in unum serpētes.

medicus celebris memorat accidiſſe cuidã homini ſuo tempore. Cui cùm fruſtra adhibita eſſent innumera medicamenta & præſidia alioquin efficaciſsima, de omnibus prę̨ſentiſsimum & mirabiliſsimũ fuit ueteramentorum fumus & nidor infundibulo hauſtus, & exceptus. Nam cumprimũ immanis fera (erat enim Vipera prægrandis) fumi nidorem præſenſit, uiſa eſt à circunſtantibus egredi per anum, magna omnium admiratione & incredibili ſtupore. Quod hîc ſcriptum & adnotatum uolui, ceu ſecretum magnum & paratu facile, multíſque profuturum. Sed hîc non eſt omittendum, quòd ſerpentes ignem ualde oderunt: non ſolùm quia oculos illorum hebetat, ſed quòd natura ignis ueneno aduerſatur. Oderunt etiam ualidum odorem iaculantia, qualia ſunt allia & cepę. Amãt ſabinam, hę̨deram ac fœniculum: ſicuti bufones ſaluiam, & uiperæ erucam. Omniũ peſsimè & infenſiſsimè auerſantur ac oderunt fraxinum: adeò ut ne matutinas quidem occidẽtaléſue umbras eius, quàm ſunt longiſsimę, attingant, ſed procul fugiant. Quin experti prodimus, inquit Plinius, quòd ſi gyro ex fraxinea fronde claudan-

Pulcherrima hiſtoria pro fugandis ſerpentibus à corpore.

Quænã ſint ſerpentibus inimica & amica.

Notanda fraxini & ſerpẽtis antipathia

tur ignis & ſerpens, in ignem potius quàm fraxinũ ſtatim fugiet ille: mira naturæ benignitate, quæ prius quàm ſerpentes prodeant, ſicuti florere fraxinum permittit, ita ante conditos folia nequaquam deponere ſinit. Virgilius omnis eruditionis parens, cedro uel galbano incẽſis illos perſequitur & exagitat.

Diſce (inquit) & odoratam ſtabulis incendere cedrum,
Galbaneóque agitare graues nidore chelydros.

De abigendis & necandis ſerpentibus hactenus. At, ferè hîc prætereierã quòd filicis folia ſerpentem non recipiunt: unde ſerpẽtigenis locis filicem ſeuiſſe, aut ſtrauiſſe multis utile fuit. Addo quòd ſi folia eius comburantur, etiam ſolo nidore ſerpentes fugabunt, ac longè ſedes mutare cogent. Neſcio ſanè an hîc etiã adnotare debeam, quod apud Albertũ legi, ariſtolochiã ſcilicet rotundam cũ cãpeſtri rana, & ſcriptorij atramẽti parte aliqua diligenter tritam, facere ut ſerpentes ceu mortui ilico ſubſiſtãt, ſi ex ea miſcellanea aliquid ſcribatur, & coram illis proiiciatur. Sed iam tempeſtiuum eſt, ut ad remedia ueniamus, eáque prompta & paratu facilia. Si itaq; à ſerpente quiſpiam demorſus fuerit, niſi febricitet, bi-

De filice & ariſtolochia contra ſerpentes.

Remedia aduerſus ſerpẽtis morſum.

bat ſuccum è foliis fraxini, uino albo generoſo exceptum: foliiſque ipſis morſum tegat: miraculũ à multis fœlici ſucceſſu probatum & expertum demirabitur. Nec temerè, nam certam contra ſerpentes antipathiam habet fraxinus, ſicuti modo à nobis oſtenſum fuit, & alibi adnotatum. Huic capiti colophonem imponam, ubi dixero ſambuci flores nidoroſos à ſerpẽtibus ſummè refugi, ac tineas, blattas, & erucas perimere. Alia auxilia & remedia libris ſequẽtibus tibi paſsim proponemus, dum plantarum & arborũ, fructuúmque medica docebimus præſidia.

Auxilia & ſecreta aduerſus ſcorpiones, buſones, hortenſes mures, muſtelas & grãdiores beſtias, tã olera q̃ fructus corrũpentes & uaſtantes. Cap. XII.

QVòd ad ſcorpiones attinet, ſi locũ in quo uerſantur ſurculo aut ramulo ueri heliotropij circunſcripſeris, negat Plinius illos hinc egredi poſſe. Si uerò herba ipſa imponatur, aut reſpergatur, protinus emori tradit. Idẽ fieri aiunt tactu radicis herbę quã ſcorpioïdẽ dicũt: imò uerò à ſcorpione minimè lædi, qui herbam geſtabit. Afri promittunt ad manipulũ o- Scorpionum fuga & interitus.

cimi cũ cãcris decẽ marinis uel fluuiatilib⁹ tritũ, à proximo omnes cõuenire. Tradũt iidẽ, si à scorpione quispiã percussus asino insideat spectãs ad eius caudã, perniciosum sessoris uirus in asinũ trãsire. Indiciũ erit, si deflauerit & pepederit asinus. Sed hæc quia uanitatem olent, ad scorpionum fugam & exitium calamum conuerto. Diophanes in suis de agricultura gręcis Commentariis tradit cum plerisque aliis raphanum scorpiis impositum, præsentem mortem illis adferre. Adhæc eum qui raphani succo manus diligenter obleuerit, citra periculum scorpios & uenenata quæque posse tractare. Addit prætereà sandaracham cum butyro uel adipe caprino suffitam, eosdem & reptile omne abigere: insuper scorpium unum concrematum reliquos fugare. Quo loco non omittam ex Tarentino Græco, quòd qui sideritim, uel scorpium herbam tenuerit, scorpios innocenter tractare poterit. Plutarchus ex Zoroastre nucem auellanam lectulorũ pedibus alligat, ne scorpius illos conscendat. De ictorum remediis hæc à me in præsentiarum habebis. Si quis scorpium à quo fuit percussus, uel alium in oleo coquat, eóq; plagam in-

Mirum si uerum.

Memorabilia ĩ scorpiones alexipharmaca.

Remedia eorum qui à scorpio fuerint icti.

ungat, ualde iuuabitur. Idem continget, si pungentem super locum interimat ac proterat: sed periculosus erit ictus, si quis eo die ocimum esitauerit quo punctus fuit. Florentinus succum fici recẽtis in plagam efficaciter stillari tradit. Plinius asserit scorpij cinerem ex uino potum, si febris absit, summo esse remedio: perinde atque uermium ignitorum puluisculum, uerminãtibus hominibus, animalibus, ac alitibus: & à rabido cane morsis pilos eiusdẽ ustos ac propinatos. Busones iisdem rebus fugari & necari scribunt Græcę & Latinę agriculturæ professores, quibus serpẽtes. Quare de remediis & auxiliis aduersus illos, uerbum non amplius addam. Mures iacta semina nullo modo persequi tradit Apuleius, si bubulo felle macerata fuerint antè quàm spargantur. Necabuntur si foliis rhododaphnes illorum aditus clauseris. Non desunt ex Græcis qui syluestris cucumeris, aut hyoscyami uel amygdalarum amararum & ueratri nigri pares portiones contusas polentæ immisceant, ac oleo subigant, agrestiúmque murium aut domesticorum cauernis & cuniculis apponant. Plinius abigi scribit cinere mustelæ aut felis diluto,

Pulchra & notatu digna

Auxilia aduersus agrestes mures, necnõ domesticos.

& ſeminibus reſperſo. Verùm, quæ inde naſcentur, uirus talium animalium redolere ualde periclitantur: ob id bubulo felle, ut ſuprà (niſi bene fallor) ſcripſimus & monuimus, ſemina imbui & tingi, melius eſt.

Auxilia aduerſus muſtellas, earũdémq; expulſio & interitus.

Muſtellas uel occides, uel fugabis, ut adnotauit Africanus, ſi ſalẽ ammoniacũ & frumentum, ſeu (ut alij legunt) fermentum commacerauerıs: & ad locum ubi frequenter diſcurrunt, proieceris. Alij, captam vnam, cauda & teſticulis amputatis viuam dimittunt: putántque eo ſpectaculo & mutilatione reliquas emigraturas: cuius rei facilis experientia, fidem in poſterũ firmam tibi faciet. De grandioribus beſtiis abigendis hæc pauca accipito. Nunquam ſata illę contingent, ſi imbre ueteris urinæ in qua ſtercus caninum maduerit, areę hortorũ ſpargantur.

Ne grandiores beſtiæ ſata lædant, uel contingant.

Idem futurum promittit Democritus, ut antea docuimus, ſi fluuiatiles cancros quamplurimos, uel marinos non pauciores quàm decem, fictili uaſculo in aquam miſſos tegas, & ſub dio ſtatuas, ut decem diebus Sole uaporẽtur: poſteà quęcunque illæſa uolueris eſſe, cùm ab aëre, tum ab animalibus, aqua illa diebus alternis debes perfundere, donec ſolidius ad-

olescant. Sunt de prisco illo Africanę primùm, deinde Græcæ agriculturę collegio, qui pęoniam aut personatam herbam urẽteis, uel in horto aut agro circunferenteis, bestias & infesta quæuis animalia, occulto amuleto persequuntur. Quæ si frondes pastu malefico depascantur, Plinius in naturæ historia primus & ultimus, prudenter consulit, folia fimo boum diluto aspergenda esse, quoties imber interuenerit: quoniã ita abluitur uirus medicaminis, mira quędam excogitante solertia humana.

Africani & Græci agricolæ solertes

Ne animalia frondes pascant.

Auxilia & secreta aduersus grandinem, fulmina ac tempestates, olera, arbores ac fructus dilapidantes & proterentes. Cap. XIII.

DE grandine, quæ plerunque dilapidat hominumque, boúmq; labores, hæc paucis habeto. Si uoles illi ingruenti occurrere, uituli marini pellem, uel hyenæ, aut crocodili, per horti uel agri spatia circunferes, & in eorum ingressu suspendes: quemadmodum scripsit Philestratus in suis rerum rusticarum græcis Commentariis. Alij grandinẽ instare animaduertentes, oblato ingẽti speculo imaginem

Aduersus ingruentẽ grãdinem auxilia & secreta.

nubis accipiunt: eóque remedio nubem, ſeu ſibi obiecta deſpiciat, uel (ut legit Palladius) diſpliceat: ſeu tanquam geminata, alteri cedat, extemplo auertunt & amoliũtur. Plerique alij hac ſuperſtitione imbuuntur, ut plurium domorum clauibus de funiculo pendentibus, omne horti ſpatium in orbem cingant: exiſtimantes grãdinem ſine damno hac arte aliò cum ſua nube migraturã. Sunt, eodem Philoſtrato autore, qui dextra manu teſtudinem paluſtrem ſupinam ferentes, hortum uel agrum perambulent: & reuerſi unde exierant, eadem figura, illam humi ſtatuant, ac glebas curuaturæ dorſi eius obiiciant, ne inuerti poſſit, ſed ſupina permaneat, nubémque grãdine pregnantem recta intueatur. Quod quidam fieri præcipiunt hora diei, uel noctis ſexta. Non defuerunt apud priſcos qui eam in rem omne horti uel agri ſpatium alba uite cingerent: aut noctuam alis patentibus extenſam in illo ſuffigerent. Quæ duo etiam ad fulmina grãdinem plurimùm comitantia, incomparabilis ille rerum agri doctor Iunius Columella tranſtulit, ad hũc modum in ſuo horto loquẽs:

Mira teſtudinis antipathia cum nube grandinẽ parturiente.

Vtque Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon,

Auxilia ad-

Sæpè ſuas ſedes præcinxit uitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus uolucres ſuſpendit: & altis
Culminibus uetuit feralia carmina flere.

uerſus fulmẽ ex Columella.

Sed hoc loco auxilium quod noſtrates pręſentiſsimum habent aduerſus tonitrua, fulmina, & nubes grandinem horrendam minitantes, ſilentio nõ diſsimulabo. quodnam illud, inquies? nolarum & campanarum tinnitus, aut bombardarum longè latéque reboantes crepitus, ut clamor eat cœlo: quemadmodum in noſtris aëriis Ephemeridibus, & populari Aſtrologia ſcripſimus. Verùm his plebeculæ dimiſsis, Plinium in explicanda naturæ hiſtoria ad miraculum uſque ſummum, ſi placet, auſcultemus: & ex illo diſcamus non ſolùm hortos & agros, ſed etiam homines & animalia nequaquam à fulmine tangi, quæ tergore fluuialis equi, quem Hippopotamum nũcupant, circunſepta fuerint. Quin & noxiæ non erunt tempeſtates, ut Archibius ad Antiochum Syriæ regem ſcripſit, ſi obſerata fictili nouo rubeta, in medio horti uel agri defodiatur. Per cuius ambitum plerique etiam laurum multam, eam in rem plantant. Alij aquilæ pennas, aut uituli marini pellem in medio horti,

Populare auxiliũ aduerſus tonitrua, fulmẽ & grãdinem.

Vt horto uel agro noxiæ non ſint tempeſtates.

uel per quatuor eius angulos ſuſpendunt. Nam hæc tria, arcana quadã & planè memorabili antipathia fulminibus obſiſtere, & ab his nullo modo contingi, aut afflari, poſteritatis memoriæ mandatũ eſt: & multorum experimentis co'nfirmatum. Vnde Tiberium Cæſarem lauro coronari ſolitum fuiſſe, & tẽtoria ex uitulorũ marinorũ pellibus operta, tonãte cœlo ſubiiſſe autor eſt Sueto. ut à fulmine, quod ſupramodũ metuebat, tutus eſſet. Iſte erit capitis huius colophon: Bulbus nõ ſui corporis exiguitate fulminis impetum euadit, ſed aduerſam & fulminis ictum retorquentem naturam poſsidet: quam Gręci antipathen uocant, ut adnotauit Plinius.

Laurũ, aquilam & uitulũ marinũ à fulmine nõ con tingi.

De rubiginis, pruinę, & carbunculi cauſis, auxiliis & ſecretis.

Caput. XIIII.

POſtremum caput hoc ſummum negocium mihi facit: neque aliam ob rem, quàm quòd cum cœlo & aëre, cominus & eminus mihi agendum proponat, ſi de rebus in quibus uerſatur, ſeriò philoſophari ſatagam. Quapropter quæ ſum in illo ſcripturus, ſanè quàm libenter ad noſtrum rerum agri Calendarium, & ruſticũ

Autoris hi duo libelli propediẽ lucẽ uidebunt.

de Luna opuſculum transferrem, niſi præſentis inſtituti ratio me ab ea ſentẽtia prorſus reuocaret. Scribam itaq; omnium primum de cœleſtibus iniuriis, ad quas referenda moneo quæ hoc capite deinceps expediam. Cœleſtium iniuriarũ genera duo eſſe conſtat. Vnum, quod tempeſtates uocant: in quibus grandines, procellæ & ſimilia intelliguntur. Hæc cùm acciderint, uis cœli maior appellatur: quæ ab horridis, ut loquitur Plinius, formidãdíſq; ſyderibus excitatur: cuiuſmodi ſunt Vergiliæ, Hyades, Canicula, Arcturus, Fidicula, Hœdi, Orion, Aquila, & ſydera alia, priſcis rerũ agri & medicinæ cultoribus ſummè obſeruata, & diligentiſsimè commẽdata. Aliud genus ſilente cœlo, ſereníſque noctibus fieri ſolet, nullo ſentiẽte niſi cùm factum eſt. Quæ deploranda calamitas, nunc rubigo, nunc uredo, & carbunculus dici conſueuit: omnibus ſterilitas: &, ut uno uerbo abſoluam, ſyderatio. Nam tota cœlo conſtat, & uerno tempore fieri maximè ſolet:

Genera duo cœleſtiũ iniuriarum.

Rubigo & uredo, ſeu carbunculus.

Dum niueos, dum cyaneos ſuperare lapillos
Contendunt herbæ: radiántque micantia latè
Gramina per tumulos, per ualleis, nemora, ſaltus:
Pérque amnis taciti ripas: quando omnia uernant,
Omnia luxuriant, & amica luce coruſcant:
Garrula limoſas ſedeis molitur hirundo:

Pulchra & ingenioſa Veris deſcriptio

Et tenui solitum frustratur uoce laborem:
Parturiunt stipulæ frugem,& genitalibus auris
Peruia turgescunt lactentibus hordea culmis:
Palmes agit rupto lacrymanteis cortice gemmas,
Séque rudeis primis monstrant in uitibus vuæ.

Causæ carbũculationis & uredinis. Adhæc unde illi nomen.

Atque ut tribus uerbis cõcludam, fieri hæc maximè conspiciũtur, dum Pomona, Bacchus & Ceres suam sobolem ad conceptũ & partum inuitant. Idque pruinæ iniuria: quæ, Festo autore, à perurendo nomen habet. Nam erumpentibus molliculis & tenellis terræ fœtibus, plantulis & ramulis, adurit insidens lactescenteis germinũ oculos, quod in flore carbunculũ uocant: unde carbunculationis nomen. Quæ & uredo etiam dici consueuit: uel ob id quòd quæcunque attigerit, ueluti quodam fuliginis & ustionis carbone denigret ac conficiat. Lues ea Græcis sphacelismus & astrobolismus ritè nuncupatur, ac si diceres syderatio, aut syderis alicuius afflatus & percussio, arbores deflorescentes ęquè persequẽs, atque uites. Cuius catalogo rubiginem etiam adscribimus, frugibus summè inimicam. Quæ duo, plerique fieri dixerunt rore inusto acri Sole, aut humore segetibus insidente & putrefaciente. Quod cum Plinio ex parte falsum esse arbitramur:

putamúſque frigore tantùm conſtare, etiam Sole innoxio. Nam res ea, ut id obiter admoneam, non contingit niſi noctibus, & ante Solis ardorem: idque certa lunari ratione, interlunio aut plenilunio: conſentientibus de exortu uel occaſu ſtatis ſyderibus, quemadmodum in prædictis opuſculis noſtris, Deo duce, aliquando oſtendemus. Hinc illa tam celebris Democriti hiſtoria apud Plinium, aut Thaletis apud Ariſtotelem: qua ex futuro Vergiliarum exortu prȩuiſa olei caritate, coempto oleo prouinciæ uniuerſo, oſtendit ſibi & philoſophis opes in facili cùm uellent fore. Sed de his alibi. Ad rubiginem itaque, & alia ſuperiora redeo: pro quibus prudens & docta antiquitas Rubigalia ac Floralia feſta non temerè inſtituiſſe mihi ſemper eſt uiſa. Idque diebus ſuſpectis quos frugum decretorios nuncupabat, & uitium. Quales fortaſſe nobis ſunt hodie beatorum Georgij, Marci, Nicolai & aliorum celebritates, plebeculæ ac ruſticis ea cauſa ualde formidabiles. Hæc ſanè illa eſt cȩleſtis ſterilitas, quæ annis omnibus accidere nec ſolet, nec poteſt: propter ſtatos ſyderum curſus, lapſus, emerſus, & ra-

Vnde fiãt rubigo & uredo. Adhæc quo tẽpore contingant.

Pulchra Democriti hiſtoria.

Rubigalia & Floralia feſta cur inſtituta.

Sterilitas cur omnibus annis non accidat.

diationes cum luminaribus & planetis. In quo naturæ, uel potius Dei optimi maximi benignitatem ac bonitatem erga genus humanum planè admirabilem, quis non admiretur? quis non suſpiciat? quis non ueneretur? Cæterùm, ex connumeratis paulò antè ſyderibus, & aliis quæ cœlo infinita ſunt, diligens antiquitas tria ſummè formidabat, atque obſeruabat, ſicuti adnotauit Plinius. Vergilias propter fructus, Aquilam ob ſegetes, & Caniculam propter uindemias: eáque ſydera ob id decretoria nuncupabat. Quorum diebus, ſi purus atque mitis aër genitalem illum lacteúmque ſuccum in terras tranſmittebat, læta adoleſcere ſata certum erat: ſi uerò Luna roſcidum frigus aſpergebat, admiſta amaritudo (ut in lacte) puerperium necabat. Verùm de his hactenus: quę erunt ueluti præludia inſtituti ea de re à nobis opuſculi. Sed ô me obliuioſum! penè prætereierã rubigini & carbunculationi, neque pruinas, neque grandines, neq; procellas, neq; tẽpeſtates, æquiparari poſſe, ꝙ certorũ agrorũ particularia ſint mala: ex quo annonæ ſterilitatem & penuriam nunquam adferunt. Carbũculatio uerò & rubigo,

Sydera tria antiquis ualde obſeruata & formidata pro rebus terræ.

Nulla cœleſtis iniuria æquiparãda rubigini & carbunculationi.

quòd ſint regionum latè patentium flagella & incommoda, publicam calamitatem & præſentem caritatem, comitem plerunque habent. Quare cominus & eminus, ceu pro aris & focis, quod dicunt, imò uerò pro uita, hîc cum antiquis aduerſus illas nobis pugnandum ac repugnandum eſt. Si itaque inſtanti & præuiſæ rubigini ac pruinæ obuiam ire uoles, paleas multas, ſi adſunt, aut horti uel agri euulſas herbas, frutices, & ſpineta, pluribus locis combures: maximè qua parte uentus ſpirabit: ita enim impendens malum auerti ſcripſit Diophanes in ſuis rerum agri præceptis. Berytius in Græca geoponicon ſchola celebris, ubi illam in aëre congregari animaduertebat, bouis cornu ſiniſtrum, cum bubulo ſtercore illico incendebat, & fumum multum per horti uel agri ambitum excitabat, uentóque opponebat. Apuleius fumum trium cancrorum uſtorum cum bubulo, uel caprino ſtercore, aut paleis, auxilium præſentiſsimum eſſe ſcripſit. Quòd ſi illa anticipauerit, rubigo, inquam, damnum hoc modo reſarcies, ut tradit Berytius. Cucumerum ſylueſtrium, aut colocynthidis radices uel folia contun-

Auxilia aduerſus inſtãtem rubiginẽ & pruinam.

Auxilia aduersus rubiginẽ quę anticipauit.

de, & aqua macera: indéque à rubigine prehensa ante Solis exortum irrora ac resperge. Idem assequeris ficulneo, aut quercino cinere, aqua infuso, & quo dictum est modo, asperso. Proderit, eodem Apuleio teste, ramos lauri multos per hortum uel agrũ defigere ac plantare: nam in illos, sicuti & plurifariã obseruaui, rubiginis noxa omnis transit & abit. Quæ frequentissima solet esse in roscido tractu, conuallibúsque, ac locis perflatum nescientibus. Sed hîc eximium illum hortorum magistrum Iunium Columellam de amolienda rubigine scribentem audire, nec graue nec molestum erit.

Noxã rubiginis in lauros transire.

Columella de rubigine pellenda.

Hinc mala rubigo (inquit) uirides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

Hactenus de rubigine frugibus inimica. Aduersus carbunculum qui uitibus peculiaris esse solet, Plinius tres cancros uiuos cremari iubet, uitibus aut arboribus appensos. Gręci contra pruinam in horto uel agro fabas intus & extrà serunt. Hæc à me habebis in præsentiarũ de instituendo horto, & à noxiis ac iniuriis repurgando, ut læta ibi adolescant sata quæuis & plantata.

Auxilia aduersus carbũculũ & pruinam.

Quæ nisi à ueteribus & recentioribus rerũ agri scriptoribus, Afris, Græcis & Latinis, ingẽti studio, & indefesso labore quæsita, probata, & obseruata fuisse intellexissem, manũ tabulæ, quod dicunt, nunquam admouissem. Imò uerò, nisi partẽ bonam cum amicis meis, rerum agri apprimè studiosis, experiundo in rem contulissem, ne uerbulum quidẽ hîc adnotare sategissem.

Autoris mirus candor, & modestia rara.

ANTONII MIZALDI Monluciani de hortorum cura, auxiliis & secretis, Liber secundus.

EXcurso utcumque instituti mei primo curriculo, secundum nunc demũ fœliciter ingredior. In quo curam, studium, ac diligentiam, quæ debentur potioribus hortorum oleribus, & selectarum plantarum fructibus, tam supra quàm intra terram nascẽtibus, esculentisq; radicibus, necnõ floribus, & odoratis herbis, breuiter ac dilucidè perstringere sata-

Autoris propositũ & institutum.

go, proferóque ex fœcundiſsimis Africanorum, Græcorum & Latinorum rei ruſticæ profeſſorum theſauris, noſtríſque & amicorum quotidianis obſeruationibus, hortenſiũ auxilia & ſecreta, uitæ humanæ utiliſsima, & cuique iucundiſsima. Quod ut dictum, ita factum uideas & agnoſcas, ab ea planta, cóque olere fundamẽta mihi pono, quo in hortis tam urbanis quàm ruſticis, nihil eſt notius, nihil frequentius, nihil familiarius. A Lactuca, inquam, quę priſcis uſqueadeo placuit, & tanta, támq; ſedula cura exculta fuit, ut ab ea Lactucinos in Valeria familia appellari, nihil puduerit. Illa, illa eſt, inquam, qua Diuus Auguſtus, adnotante Plinio, in ægritudine, prudentia Antonij Muſæ medici præſtantiſsimi, conſeruatus fuit. Sed omiſſo lactucæ encomio, ad rem, ſi placet, accedamus.

Breuitas perſpicuitati iũcta, autori familiaris.

Auguſtus Imp. lactucâ in ægritudine ſeruatus.

Lactucæ cura, auxilia & ſecreta. Cap. I.

LActuca hortenſis (de qua hîc potiſsimùm agimus) dicta eſt, quòd lactis copia exuberet. Amat ſolum ſubactũ, pingue, humidum & ſtercoratum, quarto

Vnde dicta lactuca, & quonã gaudeat ſolo.

à ſatione die plurimùm erumpens, modò exuctum non fuerit eius ſemen, & ſolum infœcundum. Anno toto ſeri poteſt, ſi locum nacta fuerit lætum, ſtercoratum ac irriguum. In latitudinem ſeſe diffundet, ſi uel rarior pãgatur, uel cùm caulem faciet, eo leniter inciſo, gleba aut teſta prematur, quò minùs in ſcapum erumpat. Nam eo põduſculo uelut coërcita, cùm nõ poſsit in altum ſurgere, in latum perreptare, effundíque cogitur. Autores ſunt Florentinus Græcus in ſuis Georgicis, & poſt illũ Columella: ad hęc, Plinius & Palladius. Illa eadem candida fiet, ſi fluminis, uel littoris arena frequenter ſpargatur in medium, & collectis foliis alligetur. Quod Plinius duntaxat illi aſcribere uidetur, quæ ſeminis eſt albi: cuius ea eſt natura, ut hyemem de omnib⁹ maximè perferat. Si uitio loci, temporis aut ſeminis dureſcat, vulſa & denuo poſita teneritudinẽ conſequetur. Seſſilem facies, quæ nec caulem promat, ſed conuolutis foliis in globum extuberet, uel in orbem circumagatur (pomatã noſtrates nuncupant) ſi tranſlatæ radix, ubi in palmi altitudinem adoleuerit, ablaqueata, bubulo fimo recenti oblinatur, & congeſto

Quomodo lata fiat lactuca.

Quomodo candida fiat lactuca, & tenera.

Quomodo ſeſsilis fiat lactuca, ſeu pomata.

aggere irrigetur: dúmque ad incrementũ uenerit erumpens germen, ferri acie præscindatur: & ei fictilis testa, nõ picata, imponatur, ne longitudinis sed latitudinis augmentum capessat: ut tradit idem Florentinus, rerum agri apud Græcos interpres ad unguem factus. Suauiores habebis, si coërcitis caulibus, restibili pullulatu prodire compuleris. Quos cohibebis, si cùm iam aliquod incrementum acceperint lactucæ, testulam, ut dictũ est, aliúd ue pondusculum adhibueris. Odoratas nasci idẽ pollicetur Florentinus, si illarum semen in citrij semen imponatur, & ita terræ committatur. Quam rem etiã præstabit lactucarium semen diebus aliquot in aqua odorata præmaceratũ. Sed hoc loco mihi peropportunè in mentem uenit, memorabile Aristoxeni Cyrenei commentum. Is, ut prodit Plinius, à patria desciscens philosophia, & heluonum uoluptati subscribens, natas in hortis lactucas, vesperi uino mulso rigabat: eóque potu donec satis ebibissent, satiabat: ut postridie cùm illuxisset, placentas uirides à terra missas se habere uenditaret. Dignum hellúone inuentum, nedũ philosopho: quo omisso institutum

Quomodo suauis fiat lactuca.

Quomodo odorata fiat lactuca.

Philosophi helluonis pulchra historia.

ſequamur. Tenerioris folij euadet lactuca, ſi radix, ut diximus, optimo fimo illinatur, & fluuiali aqua opportunè irrigetur: uel biduo antè quàm uellatur, eius coma illigetur. Si & forma & ſapore multiplici uarióque illam naſci cupiueris, Didymúmq; Græcum audire uolueris, id facili uia abſolues, ſi caprini, uel ouilli ſtercoris baccã, ſeu pillulam, ſphęrulámue ſtercorariam, ſubula ſubtiliter excauaueris, & in eam ſemen lactucæ, naſturtij, ocimi, erucæ, & radicis ſeu raphani, ut habet Palladius, immiſeris: eámque baccam fimo inuolutam, terra optimè culta, breui ſcrobe demerſeris, & ſubſtrato molli lætamine, leniter aqua rigaueris. Raphanus enim in radicem nitetur, cętera uerò ſemina in ſummo proſilient, lactuca pariter emergẽte, & ſeruato ſingulorum ſapore. Sunt qui duobus, tribúſue harum pecudum ſtercoribus con tuſis, antè dicta ſemina permiſcẽt, & linteolo deligata obruunt, reliquam, ut ſuprà, adhibentes curam. Plerique Latinorũ geoponicorũ rem eandem aliter aſſequuntur. A uulſæ lactucæ folia carpunt quæ radicibus iuncta ſunt, & in eiſdem gradibus ſurculo punctis, præter raphanum, vt eſt

Quomodo fiat lactuca ſapore & forma multiplici.

Artificiũ pulchrum & ingenioſum.

Modus alius à ſuperiore.

apud Palladiũ, uel apium, ut placet Ruellio, ſemina ſupraſcripta deponunt, ac fimo linunt faciúntq; ut ſic obruta iterum lactuca, incluſorum ſeminum caulibus ambiatur & colluſtretur. Inuentæ ſunt lactucæ uſqueadeo in latitudinem luxuriantes, ut ex his olitoria oſtiola facta fuiſſe prodant antiqui: adfirmátque Theophraſtus eas nonnullos uſurpaſſe in hortorum ualuas.

Lactucę prodigioſæ latitudinis.

Si lactucam ad hybernos uſus habere uoles, ſic illã condientem Collumellã auſcultabis. Caules lactucæ ab imo depurgatos, eatenus qua tenera folia uidẽtur, in alueolo ſalire conuenit: diémque unũ & noctem ſinere, dum muriam remittant. Deinde muria eluere opportet, & expreſſos in cratibus pandere, dum reſicceſcant: tum ſubſternere anethum aridum & fœniculum: dein faſciculos lactucarum uaſis reponere, iúſque ſuperfundere, quod ſit aceti duarũ partium, atque unius muriæ: poſteà arido ſpiſſamento fœniculi ſic cõprimere, ut ius ſupernatet. Quod ut fiat, is qui huic officio præerit, ſepenumero ius diffundere debebit, nec pati ſitire ſalgama: ſed extrinſecus munda ſpõgia uaſa detergere, & aqua fontana quamrecentiſsima perfrigerare. Ha-

Lactucæ conditura ad hybernos uſus.

Columellæ ſolertia & ingeniũ mirũ.

ctenus Columella, cum quo præſentẽ de la ctuca narrationẽ abſoluo: ubi admonuero quòd lactucam ſuapte natura latam, Pythagorici eunuchion, hoc eſt ſpadoniam nũcuparũt: ꝙ maximè Veneri refragetur. Sed iam nobis reddẽda eſt lactucæ medica ratio: ſuntq́ue pauperculæ & ruſticæ plebi proponenda eius & reliquorũ hortenſium ſecreta, ac præſidia, paratu facilia, & multorum certis experimentis probata.

Lactuca ſpadonia.

Medica eiuſdem præſidia.

SYluæ, ut ſcribit Plinius, horridiórque naturæ facies medicinis non carent, ac pauperum agelli, & populares horti: ſacra illa parẽte rerum omnium nuſquam non auxilia diſponẽte homini. Ita eſt profectò, remedia uera & certa quotidie pauperrimus quiſq; ex ſuo cœnat hortulo, inuentu ac paratu facilia, & ſine impendio, ex quibus uiuitur. Sed fraudes hominũ, & ingeniorum capturæ officinas inuenere, in quibus, ut ſcribit ille, ſua cuiq; homini uenalis promittitur uita: ubi cõpoſitiones & miſturę inexplicabiles reperiũtur. Quibus hortẽſes plãtæ & ſtirpes ſatis eſſent, ruráq; ipſa abundè ſatisfacerẽt, niſi ars uileſceret.

Hortos pauperum & agellos medicinis non carere.

In pharmacopoliis hominum uita uenalis.

Veritas odiũ solet parere.

Sed uereor ne apud medicos nostros, & pharmacopœos, bene dicendo male audiã: Lactucam itaque meam repeto, & medica aliquot secreta, à Græcis geoponicis summis stripium obseruatoribus, de illa diligenter scripta & celebrata in medium profero: non prætermissis, aut neglectis his quæ à præstantissimis medicis Arabibus, Græcis & Latinis tradita ac probata sunt.

Autoris candor & modestia.

Idem posteà facturus in reliquis, ut pauperibus pro meo modulo consulam: quibus per rei familiaris angustiã, & facultatum tenuitatem, non licet medicum accersere, nec pharmaca ingenti pretio coëmere. Ad rem uenio.

Febris.

Lactucæ succus febricitantis & hinc uigilantis fronti illitus, somnum accersit, quemadmodum scripsit Florẽtinus rerum agri interpres ad unguem factus: qui etiam tradit eum qui ieiunus lactucam

Ebrietas.

prægustauerit, ebrietatẽ nõ sentire. Adhęc semen eius tritũ & epotum, geniture pro-

Gonorrhœa.

fluuia cohibere: quapropter aduersus crebra Veneris ludibria in somno utiliter propinatur. Nec omittit quòd eadem ægris nescientibus, stragulis supposita, hac præ-

Somni conciliatio.

sertim ratione, ut ante Solis exortum sinistra manu radicitùs euulsa sit, somnum so-

let conciliare. Qui etiã accersetur, eodem autore, si folia quina, terna, aut unũ, ceruicali clanculum supponantur: sed ita, ut quæ imo caule decerpta fuerunt, ad pedes, summo uerò, ad caput spectent. Cæterùm hîc nec tacẽdum, nec dissimulandũ puto, quòd effusus & assiduus lactucarum usus, cane peius & angue fugiendus est, his qui procreandis liberis dant operam, sicuti tradiderũt rusticæ philosophiæ doctores Græcorum quamplurimi. Nam fœcunditatem non modò minuere scribũt, sed quos posteà sustulerint partus, uelut amẽtes, ineptos ac stupidos à progenitorum ingenio degenerare promittunt. Hactenus Græci geoponici, à quibus ad nostros deficio medicos: apud quos lego, lactucas neq; sanguinem improbum creare, neque undiq; perfectum: multò tamẽ cæteris oleribus præstantiorem. Ex quò factum arbitror, ut Galenus lactucam de oleribus solam in homine temperato euchimã dixerit. Quæ ut calidis uentribus sumpta mirè auxiliatur, ita usu crebro oculorum aciem retundit, & caliginem inducit, ut mox dicemus, Veneríque alacritatem hebetat. Addo quòd suspiriosis & sanguinẽ excrean-

Vsus lactucarum nimius cõiugatis fugiendus.

Quem succũ & sanguinẽ gignat lactuca.

Quibus noceat lactuca.

tibus, ac pituitosis summè nocet. Pręterea, quòd tam crudæ, quàm coctæ usus largior non minùs est periculosus quàm cicutæ. Aestate ea utimur ut medicamento potiùs quàm alimento: nimirum ad humectandum & refrigerandum. Porrò, cùm frigida esse censeatur, iure quis dubitet quomodo probum & purum sanguinem in nobis gignere posit: substantia, inquam, nostræ familiari, quæ illi planè est lactea & dulcis, adhæc moderatè cocta, & proinde in sanguinem promptè ac facilè mutabilis. Aluum ideo lubricare dicitur, quòd humiditate & frigiditate sua immoderatum hepatis calorem refrigeret ac temperet. Qui ob celerem, uehementémque potus ac cibi distributionem & direptionem, aluum resiccare plerumq; solet. Visionem insuper turbare dicitur, & oculis nocere ac caliginem inducere, quòd spiritus uisorios denset & incrasset, humorémque crystallinum turbidum efficiat, & animalem spiritum sua frigiditate offendat. Nam ex Hippocrate, frigidum cerebro, spinali medullæ, neruis, ossibus, ac dentibus summè inimicum esse solet: ex quo fit ut soporifera etiam censeatur esse lactuca,

Quomodo aluum lubricet lactuca: & cur uisionem turbet.

quod suo experimento confirmat his uerbis Claud. Galenus, post Hippocratem ubique summus. Plerique lactuca utuntur priùs quàm in caulem assurgat, aquæ (aut iusculo) illam incoquentes. Quod ego nũc (nimirum in senectute) ex quo dentes mihi malè habẽt (& facti sunt ob ætatem imbecilliores) cœpi facere. Quidam meorum sodalium conspicatus, olus id iam olim ab adolescentia mihi esse consuetum, nunc tamen ipsius esum esse permolestum, autor mihi fuit ut ipsum coquerem. Aetate autem iuuenili cùm mihi uẽtriculus assidua bili infestaretur, cruda lactuca, ut eum refrigerarem, utebar. Cùm uerò ad ætatem declinantẽ perueni, hoc olus fuit mihi remedio aduersus insomniam & dormiẽdi impotentiã. Tũc enim, cõtrà ac in iuuentute, somnũ mihi dedita opera conciliabã: nam graue erat præter uoluntatẽ uigilare. Quæ res mihi accidebat, partim, ꝙ in iuuentute meapte sponte uigiliis, studiorum gratia, assueuerã: partim, ꝙ declinantium ætas ad insomniam est admodũ propensa. Itaq;, lactuca uespere in cœna, uel somni hora, cocta & cõmansa unicum mihi insomniæ erat alexipharmacon & remediũ.

Lactucam soporiferã esse, ex Galeni experimento.

Galenus uigiliis assuetus quomodo eas uicerit.

Hactenus Galenus, ex quo hanc historiã, ꝙ pulchra sit, ad uerbũ, si parentheses exci pias, pręsenti loco accõmodare uisum fuit. Veteres, initio mẽsę, primísue epulis lactu cã nõ proferebãt, sed postremis, sicuti poëta Martialis pulchrè indicat hoc disticho:

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Cur olim postremis epulis sumeretur lactuca.

Quod non temerè, nec citra rationem factum fuisse constat: cùm enim lactuca frigidæ humidęq́; sit naturę ut diximus, à cœna sumpta, & summis epulis ingesta, somnũ efficaciùs conciliat, uiníq; fumos halituosos promptiùs reprimit, ac ebrietati, inducta cerebro humiditate, faciliùs pugnat & obsistit. At nostra ætas ab eius esu cœnas & prãdia auspicari salubriùs esse duxit, ex aceto, sale, & oleo, conditã illam cibis aliis præponens, ut appetentiam per calores lãguidulã excitet, sanguinísq; feruorem temperet, & hepatis ac cordis æstum mitiget. Verumenimuero, ea cautè utendum est: nã immodicus usus, sicuti pręmonuimus, Veneris ignes extinguit. Quare his qui matrimonij capistris sunt alligati, parcus ac sobrius debet esse lactucarum usus: nisi calorificis, ut eruca, nasturtio, mẽtha, sam-

Quibus lactucæ usus cõcedatur.

psucho & similibus, frigiditas obtũdatur. Qui uerò cœlibatui addicti sunt, sacerdotes, monachi, uestales, & alij, calorifica excludere debent, ut pudicitiã illæsam tueantur, & prurire, uríque desinãt. Sed de medicis lactucæ facultatibus hęc satis: uel fortasse plura quàm opus fuerit.

Brassicæ cura, auxilia, & secreta. Cap. II.

TAmetsi Marcus Cato oleribus omnibus brassicã anteposuerit, & Plinius hortorũ principatum eidẽ ascripserit, nihilominus de illa secundo loco hîc agemus: quã Latinorũ pleriq;, ab insigni trũco & brachiatis uirgis, caulem dixerunt. Huic ea inest natura, ut nullam cœli conditionẽ respuat: unde toto anno terræ credi potest. Quam pinguem & bene subactã desiderat, non argillosam, glareosam aut arenosam: nisi fortasse perennis unda succurrerit. Austro obuersa lætior euadit, septentrioni, contrà: quanquam & sapore & robore ibidem uincit: éstque per gelicidia & pruinas gratior ac tenerior. Cliuis delectatur, & stercore gaudet, sarculatúq; proficit, ut adnotat Palladius. Cùm sex erit so

Brassica antiquis celebrata.

Quæ terra brassicis accommoda.

Quando trāſ feréda braſſica.

liorum, aut quinque, transferenda eſt : ita tamē ut radix liquido fimo priùs illinatur. Quod fiet die tepido, ſi hyems erit: ſi ęſtas, cùm Sol ad ueſperam inclinabit. Græcorū antiquiſsimi braſsicam in tres tantùm ſpecies diuiſerunt, criſpam, quam ſelinoïdea nuncupárunt, à ſimilitudine foliorū apij. Lean, latis foliis è caule exeuntibus, unde cauloden quidam uocauerūt. Et eam quæ propriè crambe appellatur, foliis tenuioribus & ſimplicibus, denſiſsimíſq;. Vaſtior euadet, ſi terra continenter operiatur. Marcus Varro Neſtoris ſapientiſsimi carmina quæ in Alexicepo, hoc eſt auxiliari horto, ſcripta reliquerat, interpretatus, braſsicam ſalſis locis ſeri iubet cùm trium foliorum fuerit, nitro aut ſalſa terra cribro excreta, & illi pruinæ cadentis modo reſperſa : ita ad coquendum habiliorem tradens, uirore ſeruato. Quod in Græcis Praxami Georgicis confirmatum uideo. Sunt qui cinere utātur nitri loco: uel ob id ꝙ erucas, à quibus ſummè infeſtatur, perdat & perimat. Tradit Columella illā in coctura celerius madeſcere, & uiridem colorem abſq; nitro ſeruare, ſi radix tribus algæ tæniolis inuoluta pangatur. Plinius algam duntaxat pe-

Tres braſsicæ ſpecies.

Quomodo fiat uaſta braſsica.

Quomodo fiat braſsica habilis ad coquendum, uirore ſeruato.

diculo ſubdit, dũ transfertur: eamq́; in rem Apiciana utitur coctura, oleo & ſale macerata braſsica priùs q̃ decoquatur: ſed dum coquitur parũ ſalis admittit, ob nitroſam & ſalſam ſubſtantiam. Cæterùm & ſapore & magnitudine pręcipuã reddes, ſi omniũ primùm in paſtinato ſeras: dein ſi terram fugientes cauliculos ſeces, & à terra proceritate luxurioſa attollentes ſe, exaggerãdo aliam, accumules: ita ne plùs q̃ cacumen emineat. Sæpius ſarrita & ſtercorata meliùs conualeſcit, plenioríſq; incremẽti cauliculũ facit & cymam. Toto anno ſecatur, quia toto, ut diximus, ſeri poteſt: ſemini tamen deſtinata, ſecari non debet. Cymoſum eius cacumen acetariis ſummè probatur, ſubferuefactũ & oleo ac ſale ſuffuſum. Plinius incomparabilis ille rerum naturæ perſcrutator, tradit uaſa in quibus aquæ feruent, induratis cruſtis intus obſeſſa, intantum ut eas auellere non liceat, braſsica in his decocta ſtatim ac facilè abſcedere. Tradit inſuper Athenæus (ut braſsicæ miracula aliquot paucis perſtringamus) uineas in quibus naſcuntur braſsicæ, languidius uinum creare: uſqueadeo illis pernicialia ſunt cum uitibus odia. Hinc nimirũ

Quomodo fiat braſsica ſapore & magnitudine inſignis.

Cruſtæ quomodo abſcedant à uaſis.

Braſsicę odia pernicialia cum uite & uino.

Theophraſtus uiuam uitem oleris huius odore fugari rectiſsimè admonuit. Et Plinius uinum in dolio ſapore huius & odore corrumpi, ſed betæ foliis demerſis reſtitui. Quo argumento Androcydes, ſapientia clarus, ut idem ſcribit Plinius, braſsicā cōtra ebrietatem maximè pollere dixit. Ex quo factum puto, ut Aegyptij qui uini magnoperè ſunt amantes, omnibus eſculentis braſsicam coctam, in cibatu præmittāt: ad inhibēdam uini noxam. Sanè hîc non arbitror diſsimulandum ꝙ caules, qui tantopere à Catone celebrantur, nō admodum probati fuerūt à pleriſq; antiquorum: qui pulmentaria damnabant quæ egerent alio pulmentario. Id erat oleo parcere, inquit Plinius. Nam garı deſideriū etiam in ſumma exprobratione erat. Hoc loco ingēs & non vulgare naturæ miraculū mihi tacendum non eſt, nempe hoc olus quo uitem fugari diximus, cyclamino & origano aduerſum, perareſcere: naturali & occulto odio, quo plantæ illæ braſsicam nō minùs proſequuntur, quàm uitem braſsica, & cōtra. Vnde rectè ſcripſiſſe mihi uidetur Paxamus, ex Græcis geoponicis unus, quòd ſi ferueſcenti & ebullienti braſsicæ paululū

Braſsica contra ebrietatē ſummè efficax.

uini quis guttatim inſtillauerit, non amplius coquetur: ſed ſuis uiribus defuncta, mutato colore corrumpetur. Quibus ex rebus appoſitè colliges, eos qui uinum multum bibere uolunt, & potādi certamine uictores coronari cupiūt, crudā braſsicam cibis anteponere debere, ne temulētia tententur. Sed philoſophantem ea in re M. Catonem, hominum ut ſcribit Plinius ſummum in omni uſu, hîc audire pulchrū erit. Si uoles, inquit, in conuiuio multum bibere, cœnaréque libenter, crudam braſsicam ante cœnam eſto quantum uoles ex aceto: & item ubi cœnaueris, eſto quinque folia, reddent te quaſi nihil ederis ac biberis: bibéſque quantum uoles· mirabili oleris huius cum uino antipathia, ut dictum eſt: & adnotauit Agrius apud M. Varronem. Addo ex Paxami Græcis georgicis, quòd ſi braſsica uiti uicina fuerit, luxuriātes eius palmites potius repandi curuabūtur, quàm recti ad illam propiùs accedant, inteſtinæ diſcordiæ non immemores. Porrò, ſcitu indignum nō eſt quod Atheneus commemorat, Athenis olim braſsicam cibo parari ſolitam puerperis mulieribus, amuleti cuiuſdam uice. Fit ex cinere eius a-

Vinum braſsicæ coctura impedire.

Braſsica poculis certantes coronare facit.

Braſsica puerperarum cibus.

qua diluto, ſal: nam habet nitroſam, ut diximus, ſubſtantiam, cuius beneficio, ſi modicè coquatur, aluum ſumpto iuſculo, ut mox ſcribemus, ſoluit. Hoc de multis ſit poſtremum: ſemen braſsicæ uetus in raphanum degenerare. Ex quo neſcio an factum fuerit, ut antiqua Gręcia braſsicam raphanum appellarit, & hunc cum illa confuderit. Autores ſunt cum Ariſtotele, Theophraſtus, Iulius pollux, & alij. Quibus tamen per omnia ſubſcribere mihi nō uidetur Galenus.

Braſsicam cū raphano confudit uetus Græcia.

Medica.

BRaſsicæ laudes & medica ſecreta quibus populus Romanus annis D C. ſalubriter uſus fuit, ante omnes celebrarunt Pythagoras & M. Cato, ut Plinius adnotauit. De quibus etiā Chryſippus medicus priuatū uolumē per ſingula mēbra hominis digeſtum edidit: adhæc, Dieuches. Ex quorum monimentis nihil, quod ſciā, extat præter id quod iidem M. Cato & Plinius poſteritatis memoriæ ſcriptum reliquerunt. Quos dum pridem percurrerem, è multis paucula hæc tibi ſeligere uiſum fuit. Itaque M. Cato de iis quibus ægrè it lotium, & ſubſtillum eſt, hunc in modum

Secretorum braſsicæ autores primi.

Lotij difficultas & ſtillicidium.

ſcribit: Sumito braſsicam, coniicito in aquam feruentem, coquito pauliſper, uti ſubcruda ſiet: poſteà aquam defundito, nõ omnem: eò addito oleum & ſalem ac cimini paululum: inferuefacito pauliſper: poſteà inde iuſculum frigidum ſorbere, & ipſam braſsicam eſſe oportet, uti quamprimum excoquat: quotidie id facito. Ad omnes tumores, & omnia ulcera, braſsicam contritam, quæ minutis eſt caulibus & foliis tenuioribus, crambem uocãt, ille idem imponit: cancros purgat, & ſanos reddit: quod facere non poteſt medicamentum aliud. Verùm prius quàm imponat, aqua calida multa lauat: poſteà bis in die, contritã crambem admouet. Quo remedio etiam ad luxata & contuſa, mammáſque ulceratas & cancroſas utitur. Si ulcus acrimoniã ferre non poſsit, farinam hordeaceam miſcet, ac ita apponit: teſtatúrque articularem morbum nulla re æquè domari atque braſſica cruda, ſi eam conciſam, cum ruta & coriandro quis edat: aut ſalis mica & hordei farina miſta, opportunè illinat. Quòd ſi auribus parũ audies, terito, inquit, cũ uino braſſicam, ſuccum exprimito, & tepidũ in aurem inſtillato, citò intelliges. Hæc Mar-

Tumores, vlcera & cãcer.

Luxata & cõtuſa.

Articularis morbus.

Surditas.

cus Cato: qui crispam brassicam maximè probare solet: dein leuem grandibus foliis & caule magno. Qui plura curiosè scire curabit, librum de Re rustica eiusdem consulat, & sedulò percurrat, illic inueniet quod placuisse queat. Idem continget si Plinij bibliothecã adeat. His positis uenio ad Gręcorum geoponicos, qui ex sapientissimi Nestoris Alexicepo tradunt brassicę decoctum cum dulci uino haustũ, mulieribus menses ducere: adhæc succum eiusdem cũ Attico melle remistum, oculos iuuare, si illorum angulis admoueatur. Quòd si uenenatos boletos quis ederit, poto brassicæ succo ualde iuuabitur. Nec omittunt illam corpori alimentum multum præbere: adeò ut pueri brassica uescentes, citiùs adolescere credantur. Succus cum uino albo ad dies xl. haustus, splenicos & ictericos curat: quemadmodum in rusticis paradoxis scripsit Paxamus. In quibus nõ prætermittit, quòd eadem alumini rotũdo aceto macerato permista, psoram ac lepram mundat: coctáque & præsumpta, uoci atque arteriacis affectionibus medetur. Vnde uocis studiosi hac libentissimè utuntur. Folia uti etiam semen, cum sylphio & aceto trita

M.Cato & Plin. summi brassicæ encomiastæ.

Menstrua.

Boleti.

Splenici & icterici.

Psora & lepra.

ac impoſita, morſum canis tum rabidi, tũ non rabientis perfectè ſanant. Et ſi contigerit à diſtillatione vuulã aut columellam in guttur laxari, ſuccus crudæ braſsicæ capiti admotus, illam in ſublimem oris partem reuocabit, ſolitúmque locum repetere coget. quod naturæ arcanis & ſecretis aſcribendum eſt. Ex medicis hæc habeto. Braſsicæ crudus ſuccus cum uino potus, uiperarum morſibus auxiliatur: cum fœni græci farina, podagris & articulorum uitiis efficaciter illinitur. Idem prodeſt ſordidis ac uetuſtis ulceribus: qui etiam naribus infuſus caput purgat, mẽſéſq; trahit cũ loliacea farina inditus. Folia per ſe illita, aut cũ polẽta trita cõferũt inflãmationibus, tumoribúſq; : & ex ſale carbũculos rumpunt, ac fluentes capillos retinent. Lienoſis ex aceto cruda proſunt: & addito melle cocta, ualẽt plurimùm aduerſus depaſcentia ulcera & gangrenas. Virentes cauliculi cum radice cremati, & adipe porci uetuſto excepti, diuturnos laterum dolores mitigant. Si humentem aluũ ſiccare uolueris, ubi mediocriter bulliiſſe uidebitur braſsica, priore aqua effuſa, repentè aliam calẽtem iniicies, atque ita rurſus eam diſcoques, uſquedum

Morſus canis rabidi.

Columellæ laxatio.

Morſus uiperę & podagra

Vlcera uetuſta & mẽſes.

Inflammatio & carbunculus.

Lienoſi & gangræna.

Laterũ dolor

Alui reſiccatio.

tenera flaccidáque euaserit. Quod non fit cùm uentris subducẽdi causa sumitur. Sed Claud. Galenum his in rebus accuratè, suo more, philosophantem, audire pulchrum erit. Nunc autem, inquit, summatim dicemus brassicæ succum facultatem habere purgatricem: corpus autem ipsius (seu carnem) communi siccantium ratione, magis sistere, quàm ad deiiciendum incitare. Cũ igitur quæ in uentre continentur excernere uoluerimus, è propinquo cacabo in quo brassica fuerit cum aqua docoćta, extraćtam aquam eam protinus in uasa quibus oleum cum garo paratum fuerit, iniicere conueniet: nihil autem retulerit, si salem loco gari sumpseris. Quòd si humentem aluum siccare uoluerimus, priorem aquam, ubi brassica mediocriter coćta uidebitur, effundentes, aliam calidam mox iniiciemus, ac rursum brassicam (quoad contabuerit) ei recoquemus: quod nõ facimus cùm uentris deiiciendi gratia sumitur. Volumus enim hoc casu proprium ipsius succum omnem non deponere, sed quoad fieri maximè licet, retinere. Hæc Galenus de apparanda brassica ad alui solutionem, uel cohibitionem. Cum quo hîc uale nuncia-

Method⁹ coquendæ brassicæ ad alui solutionem.

Quomodo excoquenda brassica ad alui cohibitionem.

mus braſsicæ, ut ſuum aliis locum opportunè concedamus.

Apij cura, auxilia & ſecreta. Cap. III.

APium, Græcis ſelinon, vulgo petroſelinum, & noſtratibus perſilium dici conſueuit, perpetua uirens fronde, & ex ueteri ſemine (ſi Theophraſto credis) celeriter emergens. Nam è recenti, hortenſium omnium tardiſsimè prouenit: nimirum quadrageſimo die à ſatu, & quinquageſimo, maiore ex parte, ut ſcribit Plinius. Sæpius parit, ſemélque ſatum, pluribus annis reſtibili fertilitate erumpit. Locis tam frigidis quàm calidis, & terra quali uolueris, ut tradit Palladius, gaudet: dum modò iugis adſit humor, cuius rigatu facilè animetur, unde nullum cœlum & ſolum reſpuit. Semine & planta, Columella autore, optimè ſeritur: & ſecundum fonteis ac riuulos commodiſsimè ponitur. Si magnũ & folij latiſsimi illud habere uolueris, & Florentinum Græcum auſcultaueris, accipies ſeminis apij quantùm tribus digitis ſummis prehendi poteſt, & rariore linteolo includes: deinde fimo & terra, breui foſ-

Apium quo ſemine celeriter emergat.

Quænam terra apio idonea.

Quomodo fiat apiũ folij latiſsimi.

ſa obrues: hoc faciens, magnum & latum tibi parabis. Nam ita omnium ſeminum germen, capitis unius ſoliditate nectetur, ut ſcripſit Palladius, & ante eum Columella. Sed longè maximum naſcetur, ut tradit Florentinus, ſi radicibus circunfoſsis, paleas adieceris, ac rigaueris. Criſpum fiet ſi ſemen in pila ante ſationem paulũ pulſaueris, expoliatúmque, ut vult Columella, terræ mandaueris. Aut, ſi ſuper naſcenteis areas cylindrum, uel pondera aliqua uolutaueris: aut iam natum pedibus proculcaueris. Florentino ſubſcribunt Iunius Columella, Plinius & Palladius. Qui apium mare & fœmina diſtingui uolunt: ut mas foliis conſtet nigrioribus, & radice breuiori. Fœmina uerò criſpioribus atque duris, caule craſſo, ſapore acri & feruido. Sed neutrum cibis Chryſippus medicus, & Dionyſius apud Plinium admittendum cenſent (licet eiuſdem Plinij tẽporibus, ut hodie, per iura largis portionibus innataret, peculiarémque gratiam condimentis accerſeret) quoniam epulis feralibus dicatum ſit, & ob id nefaſtum habeatur. Vel, ut Plutarchus ſcribit, quòd apio ſepulchra coronentur. Vnde uetus illud prouerbiũ, Apio indiget:

Quomodo maximum fiat apium.

Quomodo criſpum fiat apium.

Apium mas & fœmina.

Cur apium olim cibis interdictum & nefaſtum habitum.

diget: de eo qui profligata & desperata sit ualetudine. Caule fœminini uermiculos innasci tradunt: credúntque eos in sexu utroq; sterilescere, qui ederint: adhæc, in puerperiis comitiales fieri qui ab eo cibo ubera hauserint. Innocentiorem tamen esse marem affirmant: eáque causa est, ne inter nefastos frutices damnetur. Hæc Plinius, fretus ueterum sententia & testimoniis. Quibus ex rebus mirandum non arbitror, si recentiores medici comitialibus & epilepticis, apio interdicãt: adhæc, si Græci infantulorum nutricibus & grauidis, puerperísque apium in cibo prohibuerint. Quanquam alia etiam subesse potest causa, nimirum ꝙ fœmininos fonticulos impediat, & lactis prouentum extinguat: uescentésque ad libidinem proritet. Cætera conticeo, nisi quòd pisces ægrotantes in piscinis apio summè recreantur & refocillantur. Adhęc quòd nihil æquè oris suauitatem commendat, atque recens apium & uiride commãducatum. Vnde si ab his estur quibus anima fœtet, grauis & molesti halitus tædium emendat. Quod meritoriæ mulieres plereque non ignorant, apium mandentes & circunferentes, ut uirus tetri odoris fallant,

Comitiales quomodo faciat apium.

Apio quinã abstinere debeant.

Apio ægrotãtes pisces recreari.

Apium oris iucunditatẽ conciliat, & eius fœtorẽ emendat.

quo imbuuntur, suauiorémque aurã spirent. Antiquitas apij cauliculos ad usum seruauit conditura, quæ aceti parteis duas, & muriæ tertiam reciperet. Hæc satis erũt, ubi monuero coquos apio suis obsoniis acetum, & cellarios grauem odorem uino in saccis eximere, quemadmodum scripsit Plinius ubique magnus.

Cauliculorũ apij cõditura

Medica.

SCribit Florẽtinus Græcus in suis georgicis, apium cum pane cataplasmatis uice impositum, sacris ignibus mederi: eius uerò decoctum, calculos, insidentibus, deturbare, & fotu idem præstare. Adhæc urinæ difficultatibus, & ægrotantibus renibus, tam folio quàm radice auxiliari. Prætereà, sugillata colori reddere, si eius semine decocto foueantur, mãmarũq; duritias, foliis attritis & impositis emollire. Plinius scribit semen cum oui albo illitũ, aut ex aqua coctũ & potũ renibus mederi: & in frigida tritum, oris ulceribus prodesse: necnon cum uetere uino, uesicæ calculos frangere: quod etiam præstat radix. Datur & ictericis ex uino albo, & iis mulieribus quibus stati menses non procedunt. Hîc nõ arbitror tacendum, quòd incoctũ apium,

Sacer ignis & calculus.

Vrinæ difficultas.

Sugillata & mãmæ induratæ.

Renũ dolor & calculus.

Ictterici & menstrua.

aquas potu ſuauiores reddit, ſicuti adnotauit Plinius: & ori, ut ſcribit Galenus, ſuaue eſt, ac ſtomacho ſanè quàm gratum. Adhæc quòd in cibo ſumptũ proprias vulnerum fluxiones magis pronas deferri facit, quemadmodum in ſuis georgicis Florentinus affirmat.

Betæ, portulacæ, ac bliti, cura, auxilia & ſecreta. Cap. IIII.

BEta pauperum menſis familiaris, madidum ſolum & putre expetit. Quæ ubi foliorũ quinque fuerit, æſtate differri debet, ſi riguus eſt hortus, ut ſcribit Columella: ſi uerò ſiccaneus, autumno, cũ pluuiæ inceſſerint. Amat frequenter effodi, & multo ſtercore ſatiari. Cui latitudo maior accerſetur, ut affirmat Sotion in Græcorum georgicis, ſi priuſquam in caulem exierit, ponduſculum apponatur lapidis lati, aut teſtæ, uel rei alterius. Nam eo onere coërcita, in foliorum amplitudinem ſe diffundet. Eadem candidior euadet, ſi fimo bubulo recenti, eius radices oblinantur. Quæ ſi in prunis toſtæ fuerint, manducati allij tetrũ odorem ac uirus extinguent, ſi ſuperedãtur, quemadmodũ ſcripſit Grę-

Betæ ſolũ: & quando trãſferri debeat.

Quomodo fiat beta lata & ampla.

Quomodo fiat beta candida.

cus Menander. Eſt hoc mirũ in betæ ſemine, quòd non totũ eodem anno gignat: ſed aliquid ſequente, aliquid tertio: celeriúſq; proueniat uetere quàm recenti, ſicuti rectè adnotauit Plinius. Nec omittendum quòd cùm à braſsica uini ſapor, ut anteà monuimus, in dolio corrumpatur, odore betę, foliis demerſis, reparatur. Hæc de beta.

Portulaca quò diligentius colitur, eò latius uagatur, & carnoſiore folio conſtat. Vna eſt ex hortẽſibus quę omnium ferè iuſculis innatat, & pauperũ ac diuitum menſas oxelęo & ſale excepta inchoat, imò uerò hyeme primas dapes apud multos, condita illuſtrat. Fieri autem ſolet eius conditura hunc in modum. Craſsiſsimi quíque cauliculi exemptis radicibus legũtur (nam graciles, faciliùs tabeſcunt madefacti) & aqua ab arenulis emũdantur, decutitúrq; ſordes ſi quæ inhæſit: ac tãtiſper in umbra ſiccãtur, donec aliquantulũ flacceſcãt: alioqui ob humoris copiam marcidi, aut rancidi euadunt. Poſthæc acerbarum uuarũ ſucco imbuti, ſubſtrato uiridis fœniculi ſpiſſamẽto, fictilib⁹ uaſis, aut doliolis componũtur, & ſufficienti ſale reſperſo, interiectóq; rurſum fœniculo, uas portulaca impletur: &

Portulaca pauperum ac diuitũ mẽſis familiaris.

Portulacæ cõditura optima, & facili methodo expreſſa.

iterum ſpiſſamento fœniculi contegitur, quod miſcellaneam deprimat. His peractis ius quod eſt temperatum duabus partibus aceti, & una omphacij infunditur: ita ut ad ſummum fideliæ, aut uaſis labrum perueniat. Ea poſtremò conditura, penore ſicciſſimo, & à Sole auerſo diligẽter ſeruatur: ne ſitu loci mucorem contrahat. Quem etiam uitabis ſi portulaca non enatet, ſed ſuo iuſculo ſemper ſit immerſa. Dum uſus exiget, aqua tepida, aut uino exemptum ſalgama eluetur, & ſuperfuſo oleo apponetur mẽſæ, ad excitandã conuiuarũ appetentiã.

Condituræ loco humido repoſitæ mucorem contrahunt, & uitiantur.

Blitum duorum eſt generum, rubrum ſeu nigrum, & album: rubro caulis & folia rubeſcunt, ut coccineo colore infecta uideantur, & ſi temporis tractu purpureſcant, ac tandem nigreſcant: ex quo etiam blitum nigrum quibuſdam dicitur. Album betaceis conſtat frondibus & foliis, abſque ulla acrimonia fatuis. Vtrunque ex eorum eſt genere quę in horto celerrimè proueniunt, ut tradit Plinius. Seritur ſolo qualicunque, ſed culto: quod cùm ſemel enatũ fuerit, ipſum ſe per multa ſecula ſeminis deiectione reparare ſolet: adeò ut ſi abolere uelis, uix poſsis. Vnde ſemel ſatũ,

Bliti rubri & nigri deſcriptio.

Blitũ ſemel

satũ, uix aboleri poteſt.

pluribus annis reſtibili fertilitate prouenit, nec runcari, nec ſarculari flagitans, quemadmodum ſcripſit Palladius. Sed hîc nõ arbitror tacendum, ꝙ priſci betam cum blito confuderunt: hinc Martialis betam fatuam, ſeu inſipidam appellauit: quæ re uera ſapore eſt nitroſo, & non fatuo aut inſipido ut blitum.

Medica.

Aluus & urinæ.

DIphilus medicus geoponicus tradit beta candida aluos ſolui, & rubra urinas proritari. Galenus nitroſa facultate olus hoc dotatum cenſet: qua etiã ſordes eluit ac diſcutit, quæ uis in candida efficacior: adeò ut uentrem ad excernendum excitet, & ſtomachũ ſenſu exacto prędituum mordeat & uellicet. Succus naribus inditus, caput purgat: infuſus, aurium dolores ſedat, & illitus, dentium cruciatus cõpeſcit. Coquitur nigra ſeu rubra cum lente, lubrico uẽtri cohibẽdo: quem, ut diximus, candida ſoluit: quæ cocta, & cũ allio crudo ſumpta, inteſtinorum tineas abigit. Iecoris obſtructionib⁹ quàm malua aptiùs accommodatur: maximè ubi cum ſinapi uel aceto eſtur, Lienoſos ſimiliter manducata, mirificè iuuat. Vnde quis ipſam me-

Auriũ & dentium dolor.

Lũbrici & iecoris obſtructio.

Lienoſi.

dicamentũ potius,quàm alimentũ dixerit, ubi hoc modo mãditur. Huius, ut aliorũ olerũ, exigua eſt alimonia: quæ ſi largiùs ſumatur,ſtomachum infeſtat & mordicat.

Portulaca frigida conſtat natura: quapropter fluxiones biliosas ac feruentes, cõmutando & refrigerando amolitur: febríque ardente conflictatis opitulatur. Dentibus qui ſtupore obtorpeſcunt ab eſu acriũ, manſa remedio eſſe ſolet. Ignibus ſacris auxiliatur: & Veneris impetus, ſomniáque refrænat. Animalia uentris rotunda pellit, & dyſentericos ex uino hauſta liberat. Capitis dolores inſolatione contractos, cum roſaceo mitigat, & vulneribus ſyderatione periclitantibus, efficaciter cum polenta inungitur. Præterea infantibus umbilico prociduo laborantibus ſalubriter apponitur: ac mobiles dentes commanducata ſtabilit: oríſque ac tonſillarum ulcera, & gingiuarum tumores, ſucco ſuo opportunè ſedat. Leontinus grçcus, ex geoponicis unus, ſcribit folium portulacæ linguæ ſubditum, his qui ſiti cruciantur, bibendi deſiderium reſtinguere: & uerrucas multorum dierum illitu tollere: quod non omiſit Plinius:

Fluxio biliosa & febris ardens.

Stupor dentium & ignis ſacer.

Dyſenteria & capitis dolor.

Vulnera & umbilicus prociduus.

Dentes mobiles,tonſillç & gingiuæ.

Sitis,verrucç mãmæ & podagra.

docens inſuper, mammarum & podagræ inflammationes, ſucco portulacæ cũ melle, aut creta cimolia ſanari.

Cholera, alui fluxio, uomitus & tormina.

Blitum ſtomacho inutile eſſe cenſetur, uentrem adeò turbans, ut choleram aliquibus faciat, & alui fluxiones excitet: necnon uomitiones moueat, cum inteſtinorum torminibus, mota bile & excitata, quod de immodico & aſsiduo eius uſu dictum accipies. Fertur tamen aduerſus ſcorpiones potum è uino prodeſſe, & clauis pedum efficaciter illini. Hippocrates menſtrua eo cibo ſiſti putauit, quẽadmodũ ſcribit Plin.

Claui pedũ & menſtrua.

Aſparagorum cura, auxilia, & ſecreta. Caput. V.

Aſparagi ſolum & ſatio.

ASparagus altilis & ſatiuus, gaudet ſolo pingui, humido & ſubacto. Seritur, ut Didymus tradit in ſuis Grȩcis georgicis, uerno tempore, foſſulis trium digitorum, in quibus bina, ternáue grana, ſemipedis ſpatio diſcreta, ponũtur. Quæ nullo cultu uexari debẽt anno primo: ſola rũcatione, herbarúmq; extirpatione cõtenta. Sed de aſparagorum ſatione & generatione conſultiùs fuerit audire conſentientes præceptiones M. Catonis, Columellæ, Plinij,

ac Palladij. Semen, inquiunt, quantũ tres digiti prehendere poſſunt, pingui & ſtercorata terra, ſingulis ſcrobiculis ad lineam directis, imprimatur & leuiter obruatur. Poſt quadrageſimum diem radiculę ſic inter ſe implicabũtur, ut in unitatem coiiſſe uideantur: ſpongias priſci olitores nuncuparũt. Si ſicca fuerint loca quibus dicta ſemina committere ſatagis, fimo macerata imis ſulcorum partibus ita erunt diſponẽda, ac ſi in alueolis manerent. Contrario fiet modo in uliginoſis: nã in ſummo porcæ dorſo collocanda erunt, ne nimio lædãtur humore: qui ſuo tranſitu tantùm rigare debet, & non mora inebriare. Sic conſita ſemina, anno primo aſparagũ dabũt: quem infringi oportebit. Si enim ab imo tentes euellere, tenellis adhuc, inualidíſq; exiſtentibus radiculis, tota ſpõgiola ſequetur. Quæ per biennium in ſuo ſeminario, ſtercore & aſsidua runcatione nutrienda eſt. Reliquis annis non erit decerpendus aſparagus, ſed radicitùs uellendus: ut ſuæ germinationis oculos aperiat. Nam niſi ita fiat, ſtirpes pręfractæ, ſpongiarum oculos augebunt, & quaſi excœcabunt: nec patiẽtur aſparagum emittere. Illum ſeruabis de

Vera aſparagorum ſatio, antiquis probata.

De locis quibus committenda ſunt aſparagorũ ſemina.

Quomodo ritè tractari debeant aſparagi.

quo ſumpturus es ſemina: poſteà ſcopas e-
ius & ſcorpiones incendes: deinde circa
hyemem ſpongiis cinerem, ac ſtercus adii-
cies. quod M. Cato ouillum eſſe debere
ſcribit. Eſt, & alter ſerendi modus per ſpō-
gias quas poſt biennium in apricum & be-
ne ſtercoratum locum transferri cōuenit.
Fiunt ſulci pedali menſura inter ſe diſtan-
tes, non ampliùs dodrantalis altitudinis:
in quibus ſpongiolæ ita deprimuntur, ut
facilè ſuperpoſita terra germinent. Vere
autem priuſquam emergere cœperint, bi-
corni ferramento (quod capreolū uocant)
terra commouenda erit, ut ſtylus faciliùs
emicet, & relaxata humo radix plenioris
fiat craſsitudinis. Idem M. Cato ſarriri ac
runcari iubet, ſed ita ne ſarriēdo uexentur
radices, aut runcando: alioqui infirmæ
conculcantur. Cæterùm, per hyemem te-
neris ſtramentis aſparagorum ſyluula o-
periēda erit, ne rigore peruratur. Quæ ue-
re nouo aperietur, & ſtercore ſaturabitur,
ac exhilarabitur. Didymus in Græcorum
geoponicis tradit, & poſt illū Plinius, aſ-
paragos plurimos naſci tuſis agreſtiū arie-
tū cornibus, & ſulcatim defoſsis, necnon
crebrò irrigatis. Quod licet Dioſcoridi nō

Quomodo ſerēdi aſparagi per ſpōgias.

Quomodo runcandi & ſarriendi aſparagi.

Quomodo abſque ſemine naſcantur aſparagi.

placeat, verisſimum nihilominus eſſe, experiundo fateberis. Non deſunt qui longè mirabiliùs tradant, nimirũ quòd integra arietum cornua, non contuſa, nec in particulas ſecta, ſi perforentur & pangantur, aſparagos producẽt. Quos ſi tibi in animo fuerit toto anno edules inuenire, ubi fructum legeris, ut idem ſcribit Didymus, radices quæ ſummo ceſpite uagantur, circũfodiens aperies. Sic enim tractata plãtula, nihil cũctabitur nouos cauliculos & aſparagos proferre. Qui aqua & iure pingui leuiter decocti, ſaléq; & oleo, aut butyro cõſperſi, addito aceti momẽto, ſumma cũ uoluptate manducabuntur. Sed hoc loco diſsimulandum non arbitror, quòd modicam coctionem poſtulant: nam diutius percocti in tabem abeunt. Ex quo Imperator Druſus, celerem rei ſucceſſum demõſtrare uolens, dicere ſolebat, citiùs fieri q̃ aſparagi coquantur. Ad condituram uenio. Cauliculi ſale conſperſi & in alueis compoſiti, biduo ſub umbra ſinuntur deſudare: deinde ſuo iure proluuntur, modò ſatis humoris remiſerint: ſi minùs, muria lauantur, & impoſito pondere exprimuntur. Poſteà in uaſe, aceti partes duas & unã

Quomodo toto anno edules inueniãtur aſparagi.

Aſparagos modicã coctionem poſtulare.

Aſparagorũ conditura, & repoſitio in hyemem.

muriæ continente, demerguntur: indito fœniculi aridi ſpiſſamento, ut & cauliculi deprimi poſsint, & ius uſque in ſummum fideliæ labrum peruenire. Hîc non omittam quòd Græci herbarum & fruticũ germina ante florem erumpentia, aſparagos, nomine largè ſumpto, nuncuparunt.

Medica.

Alui & coli inflatio, adhęc calculus, urina & vulua.

VTiliſsimus ſtomacho eſſe traditur aſparagi cibus: qui cumino addito, alui inflationes, colíq; diſcutit. Vrinas ciet, & calculos exturbat. Quidam ad vuluæ dolores radicem cũ uino dulci propinant. Sunt qui perunctum aſparago cum oleo trito, ab apibus pungi poſſe negent. Radicis decoctum ægrè meientibus prodeſt, ac dentibus medetur, ſi qua dolent parte, ore contineatur. Plinius ſcribit pectoris & ſpinæ doloribus ſummè prodeſſe aſparagos: adhæc, Venerem ſtimulare, & uentrem leniter emollire. Dioſcorides aſſos coctóſue, urinæ ſtillicidium, difficultatémque ac dyſenterias mitigare tradit. Galenus uerò renes ac iecur infarctu liberare, maximè radice & ſemine. Non deſunt qui canes necari ſcribant hauſto aſparagi de-

Dyſſuria, dẽtes, & pectoris ac ſpinæ dolor.

Stranguria, dyſenteria, renes ac iecur, & canũ mors.

coꝺto. Quod an uerum ſit, nec ne, experiẽtia fidem faciet.

Rutæ cura, auxilia, & ſecreta. Cap. VI.

ET ſi planta hæc ad eſculenta olera parum attinere uideatur, ſcribam nihilominus de illa, uel ob id quòd nulli ſint hodie horti tã urbani, quàm agreſtes, qui eius fruticem perpetuò uirentem, ac grauiter olentem non agnoſcãt. Itaque de illius cura & cultu hunc in modum præcipit Columella. Rutam autumno ſemine ſatam differre oportet Martio menſe in apricum, & cinerem aggerare, runcaríque donec conualeſcat, ne herbis ſuffocetur. Quod ſuæ Italiæ, non ſeptẽtrionali noſtrę Galliæ ſcriptum uoluit. Vt, ut fuerit, ſata ſemel uelata manu runcari debet: quam niſi contexeris, pernicioſa naſcẽtur ulcuſcula, quemadmodum Plinius adnotauit. ſi tamen per ignorãtiam nuda manu runcaueris, & prurigo atque tumor inceſſerit, oleo ſubinde perunges. Id quod de florẽte ruta multi intelligendũ cenſent. Loca deſiderat altiora, unde humor elabatur, ut tradit Palladius. Cuius ſemina ſi ponas

Cura & cultus rutæ hortenſis.

Rutæ periculoſa rũcatio.

Quomodo serẽda ruta.

adhuc clausa folliculis, manu debebis singulatim affigere: si iam minuta sunt & exclusa, sparsim iactabis, ac rastro obducta operies. Caules eius qui ex seminibus inclusis emergent, fortiores erunt, sed serò nascentur. Planta hęc humorem odit ac fimum, solo cinere contenta, estq; hyemis impatiens: quapropter apricis locis & siccaneis seri debet, cupítq; per frigora cinere cõtegi, ut naturali eius calore gelicidiis resistat. Si salsis aquis irroretur, lætior prosiliet, ut scripsit Theophrastus: sed ferro tangenda non est, nisi perniciem illi accersere uoles. Seritur non solùm semine, ut diximus, sed etiã surculo, & seipsa. Nam incuruato rami eius cacumine, cùm terrã attigerit, statim radicatur. Tota plãta trãslata, plerunque moritur: & ramuli cum aliqua parte corticis reuulsi uerno tempore, pro plantis solent cõsurgere. Annis pluribus frutex iste innoxius perdurat, nisi mulier quæ in mẽstruis est, illum contigerit, aut excoluerit: nam paulatim arescit, sicuti adnotauit Florentinus, rei rusticæ apud Græcos consultissimus, & post illum Latinæ agriculturæ doctores diligentissimi, Columella, Plinius, & Palladius. Sũt

Rutę amicissimus cinis: sed ferro tãgi non vult.

Ruta menstruatę mulieris contactum ualde refugit.

qui pertusæ fabæ, aut perforato bulbo, eius ramulos pãgunt, atq; ita adobruũt, alieno uigore, succo & odore seruandos ac enutriendos. Alij maledictis inter serendum prosequuntur, maximè in terra soluti lateris: quod cum Plinio prodesse affirmat Palladius. Sed meliùs & fertiliùs, iisdem autoribus, furtiua prouenit: ac sub fici arboris umbra libentiùs acquiescit. Eámque ob rem Theophrastus optimam rutam ac probatissimam putauit, quæ ficulneo cortici defixa, terra obruitur. Quod Plutarchus in symposiacis agnouit, hunc in modum scribens: Ruta quæ sub ficu prosilit, aut illi adnascitur, suauior habetur & sapore melior. A quo nõ lõgè recessit Dioscorides, eam cibis commendans, quæ propè arborem fici crescit, & quamcunque aliam ferculis abdicans. Hinc illa nimirum rutæ cum fico sympathia & amicitia à Plinio celebrata: & eiusdem rursum cum cicuta mirabilis antipathia: probabili argumento, quòd rutam colligentes, cicutę succo manus armãt, ne perniciosis ulceribus, ut paulò antè monuimus, ab ea infestẽtur. Mustela cum serpente dimicatura in murium uenatu, ut idem tradit Plinius,

Ruta in faba aut bulbo seritur, ut graueolentiam deponat.

Vbinam optima nascatur ruta.

Rutę cum fico summa amicitia.

Rutæ cũ cicuta odiũ & inimicitia: Adhæc, cum serpente.

rutam, ceu alexipharmacon quodpiam, priùs edit. Ex quo rutã fascinationis amuletum esse, appositissimè scripsit Aristoteles: falsóq; putauit Pythagoras, oculis nocere, uel ob id quòd scalptores & pictores, oculorum causa, in cibo illa fœliciter utãtur, ut docuit Plinius: non omittens, serpentes huius nidore abigi, & procul ab illa stabulari. Hæc postrema sint. Feles ab auiariis arceri traduntur, pullis gallinaceorum succo rutæ perfusis: aut illa, ut multis placet, undequaque armatis. Quod facili experientia, probabis: perinde atque id quod Democritus prodit, nimirũ culices abigi, & ne accedant impediri, si rutæ uirẽti ramo aquam per domũ sparseris. quod multi etiam ad pulices detorquent. Sed & illud memorabile est, quod scribit Arnoldus Villanouanus. Ruta, uel chelidonia albo aceto pauco: aut vino, uel rosacea aqua excepta & calefacta, uapidum fumum exhalat, qui si uase uitreo superposito guttatim colligatur, utilis est ad oculorũ morbos. Quod sequentibus assuendum erat.

Rutam oculis nequaquã nocere.

Quomodo feles ab auiariis arceantur.

Quomodo culices & pulices abigantur.

Medica.

FLorentinus Græcæ agriculturæ interpres, ut dixi, diligentissimus, tradit

obturatas

obturatas aureis medulla rutæ, aut recenti eius surculo, capitis dolores finire. Adhæc succo inunctos oculos cum melle Attico, uel lacte mulieris masculum enixæ aut lactãtis, caligine & suffusione liberari. Quã rem etiam præstabit succus solus, tactis oculorum angulis: non solùm hominibus, sed etiã pecudibus ac iumentis. Idem cum uino potus serpentium uenenis resistit, & comitialibus auxiliatur. Quin ruta ipsa cũ ficu ad dimidias parteis decocta, hydropicis salubriter exhibetur, ualetq; plurimũ ea decoctio ad pectoris, laterũ ac lumborum dolores: necnon cõtra tusseis, ac pulmonũ & iecinoris renũque uitia, & remeantium febrium horrores. Eadem cum uino, hyssopo & aniso cocta, torminibus sedandis, haustu, uel fotu, mirandum in modũ opitulatur, ac naribus indita fluentẽ sanguinẽ sistit, & collutione dẽtibus prodest. Aiunt generationes impediri eius cibo: idcirco mulieres coniugalem sobolem suscipere satagentes, rutam, cane peius & angue uitare debent. Trita folia cum uino, antidoti locum habent: prosuntque ad uenenatos morsus omnes, etiam si rabidi canis fuerint: modò cum melle & sale morsui im-

Capitis dolor, caligo & suffusio.

Venena, epilepsia, hydrops.

Dolor pectoris, laterum, lumborum, pulmonum, iecinoris ac renum.

Tormina, fluor sang. & dentes.

Ruta mulieribus ualde fugienda.

Morsus rabidi canis.

ponantur, uel cum aceto & pice decoquantur. Non desunt qui affirment succo rutæ perunctos, uel rutam ipsam gestãtes, à maleficis animalibus feriri non posse. Quid amplius? Genitale semen tam cibo quàm potu sumpta, restinguit, maximè uiris: uulueque strangulatus aperit, cum melle trita, & toti pubi usque ad anum illita. Quæ res plurimum etiam ualet ad dolores articularios, & cum oleo, ad expellẽda uentris animalia. Si cum laurinis foliis coquatur, testium inflammationes apposita mitigat: lichenibúsque cum melle & alumine utiliter affricatur. Prætereà, cum pipere & nitro uitiligines cãdidas emaculat. Folia per se cibos antecedẽtia, aut cum arida fico, uel ueteribus iuglandium nucleis, uenenorum uires hebetant, & corpus contra tales iniurias tutissimè muniunt: imò uerò contra pestilentem cõtagionem: si in mediam ficum, rutæ folia quinque, aut septem cum nuce ueteri includantur, & uiuis carbonibus superposita, à ieiuno edãtur. Quod Mithridatis est inuentum, ut posteà dicemus, mihi & multis fœlici optatóque successu opportunè probatum, & expertum. Theopompus uires nec dis-

Vulue strangulatus, podagra & lumbrici.

Testium inflãmationes, lichenes & uitiligines.

Antidotus cõtra pestem certissima.

ſimiles nec impares rutæ attribuit, quàm citrio, contra toxica: tradens Clearchum Heracleoti tyrannum multos aconito interemiſſe. Quod dum reſciuiſſent ſubditi, ante deguſtatam rutam domo nõ egrediebantur: quo præſidio, ceu præſenti alexipharmaco, ab aconiti uirulentia ſoſpites euaſerunt. Non deſunt qui citrio id aſcribant, quemadmodum in eius hiſtoria, libro tertio adnotabimus. Sit hoc poſtremũ: Ruta & menta uirides, ex Hippocratis & Galeni ſententia, flatus ac Veneris pruritũ excitare ſolent: ſiccatæ uerò, uel frictæ, & prȩcipuè ſemina, eoſdem diſcutere, ac Veneris impetum compeſcere, ſeminíſque profluuium (quod gonorrhœam nuncupant) ſiſtere.

Mira rutæ efficacia cõtra uenena.

Vis alia uiridis rutæ quã ſiccæ.

Oxalidis ac ſpinaceorum cura, auxilia & ſecreta. Cap. VII.

OXalis, ozella Gallis dicta, ab acido ſucco nomen habet: unde apud multos acetoſa etiam dici ſolet. Duorũ eſt generum, maior nimirũ & minor. Semen utrique idem, præterquam ꝙ maius maiori, minus uerò minori ineſt. Rumex ſatiuus Latinis, & Lapathon (nomine à Grȩcis mutuato) appellari ſolet. Licet mul

Oxalis duplex, & unde dicta.

ta sint lapathorum genera & differẽtiæ, de quibus hoc loco agere non constitui. Tam

Viuax oxalis & eius descriptio ac pictura pulcherrima.

uiuax est oxalis ut semel sata nunquam uitietur in terra, maximè iuxta aquas. Huic caulis est subteres humiliter fruticãs, & folia habens in cacumine acuta, sed minùs quàm oxylapathum. Semen rubrũ in mucronem acuminatur, & foliaceo uestitur inuolucro. Planta hæc iuribus affatim in-

Oxalidis usus & commoditates.

natare, & in acetariis singularem gratiam habere solet. Quin & carnibus intingendis iucundum succi uiridis accrementum subministrat: nec aliud in obsoniis maiorem sibi uendicat autoritatem. Omnes

Oxalis omnium mẽsis familiaris

ferè quòd gratum acorem palato repræsentet, acetosam, ut diximus, nuncuparunt: quo per æstatem nihil iucundius, & diuitum ac pauperum mensis frequentius esse consueuit.

Spinacea ueteribus incognita.

Spinacea ueteribus incognita fuisse demirandum est: cùm & pauperum & diuitum mensas onerent, adeò ut etiam uerna ieiunia saturent. Non sum nescius quosdã illa chrysolachanon dixisse: alios seutlomalachon (quasi dicas maluaceam betam) alios uerò atriplicis Hispaniensis nomine donasse. quàm uerè & rectè, iudicẽt

eruditi. Spinacea Latinis dicta puto, ꝙ tam glabræ & mollis herbę semẽ in spinas occalescat: quæ nomenclatura postmodum in recentiorem Græciam uenit. Planta hæc ieiuniis est aptissima: ideóq; per Ichthyophagiam seu quadragesimam frequẽs esse solet. Nullum solum respuit, quocunque loco lætissimè proueniẽs. Seritur Septẽbri mense & Martio: exítque septem diebus à satu: folio primùm triãgulo & molli, mox intubaceo, & plerunque qua hæret pediculo, laciniato: inerti sapore, exigua radice, tenuibus capillamentis fibrata, caule cubitali & nonnunquam altiore, intus cauo, floribus in uertice rotundis & racematim coëuntibus ac semine spinulis horridulo, necnon minacibus aculeis armato. In huius genere fœmina quidẽ floret, sed semine sterilescit. Olus hoc abiectis radicum capillamẽtis citra aquam elixari postulat: nam magnam uim humoris inter coquẽdum effundit: aspernatúrque ius alienum, proprio contentum: aliter si coquas, natiuum & genitalem illius succum perdis, ac temerè inebrias. Abacto lẽtore post elixationem, quibusdam ligneo gladio, aut aliter, percutitur & subinde uersatur: posteà

Spinacea unde nuncupata.

Spinaceorũ cura, cultus, satio & historia.

Spinaceorũ pręparatio & conditura.

in manuales globos & sphęrulas herbaceas (expressa penitus sanie) redigitur, & patinis in oleo optimo uel butyro frigitur, addito omphacio & piperis tusi momento, ut magis palatum titillet. Sed hîc olitorem non coquum agimus.

Summè notāda delicatulis.

Medica.

DE medicis istorum olerum facultatibus pauca scribā. Oxalidis semen tritum, ex aqua aut uino, utiliter bibitur contra dysenterias, & cœliacorū affectus, ac stomachi fastidia. Radices ex aceto coctæ, aut crudæ illitæ lępras & impetigines sanant: sed antea locus aceto & nitro in Sole est perfricandus. Earundem decoctum pruritus corporis sedat, si eo foueatur aut confricetur corpus in soliis balnearum, mulcet insuper dentium dolores cum uino. Nonnulli in strumis amoliendis radicum gestamine utuntur, eas collo appendentes. Tritę & admotæ, fœminarum profluuia sistunt: & cum uino potæ regio morbo auxiliantur. Quæ omnia efficaciùs pręstare solet oxylapathi radix. Sed illud non prætereundum, quòd oxalidis radix cum aqua cocta aut macerata rubelli uini colorem mentiri solet, grata &

Dysenteria, cœliaca, stomachi fastidium & impetigo.

Pruritus, dētium dolor, strumæ, mēstrua, & regius morbus.

Tumores & suppuratio.

ſalutari febricitãtibus impoſtura. Folia papyro inuoluta, & ſub calidis cineribus utcunque cócta, necnon pauco roſaceo trita & excepta, quoſuis tumores ad ſuppurationem mouere ſolent.

Spinacea aluum emolliunt & corpus humectant: flatúſque colligunt niſi excremẽtitius humor abiiciatur, & calidis admotis emendetur. Ab oleribus tranſeo ad eſculẽtas hortorũ radices, & fœtus qui intra terrã aluntur: hinc mihi gradũ facturus ad herbaceos fructus qui extra terram ſunt & fouentur. Alui emollitio & flatus.

Porri cura, auxilia & ſecreta.

Cap. VIII.

RAdices hortorum eſculẽtas deſcripturus porrum imprimis tractabo, quod ſeri debet loco læto, & maximè campeſtri, ut ſcripſit Palladius: adhæc area plana, altè paſtinata, diu ſubacta, & ritè ſtercorata. Huius genera duo ſignauit antiquitas: capitatum, quod in caput, ut cepa, extuberat: & ſectiuum, longum ac rectum: cui frondens coma ſolo tenus amputari ſolet, unde nomen. Poſtremum qui comparare uolet, poſt duos menſes quàm ſatũ eſt illud in ſua area ſecare debet. Durabit au-

Porri ſatio & locus.

Genera duo porrorum.

Sectiuũ porrum quomodo fiat, & excolatur.

tem, Columella autore, diutiùs, multóq; melius euadet, si trãsferatur: & quoties secabitur, aqua iuuetur ac stercore. Verùm usus docuit, sicuti ille idem scribit, ut translatum, eodem more quo capitatum, modicis spatiis, hoc est inter quaternos digitos, depangatur, & ubi conualuerit, desecetur. Rigari autem & stercorari, ac sarriri toties debet, quoties demetitur: estque sarculandus sæpenumerò locus ubi alitur, adhæc herbis extricandus. Si capitatum facere uoles, antequam translatum deponas, diligenter tibi erit obseruandum, ut radiculas omneis amputes, & fibrarum parteis summas detondeas: deinde testulas, uel conchas, quasi sedes singulis subiectas, supponas, & ita obruas, ut fiant latioris incremẽti capita: quo statu Sotion Græcus rigari prohibet. Palladius, ubi porrũ digiti crassitudinem est adeptũ, præcisis foliis à media parte, & truncatis radiculis, ne delumbatæ alant & distrahant, tum demum trãsfert, ac fimo liquido oblitũ, quaternis uel quinis digitis separat: atque ubi radices egerit, modicè comprehensum, sarculo alleuat: ut suspensum à terra, quod spatij uacuùm subter inuenerit, capitis uastitate co-

Capitatũ porrum quomodo fiat.

Modus alter ut fiat porrũ capitatum.

gatur implere. Et ut paucis rem istam concludam, si sectiuum uoles habere, spissiùs seres: si capitatum, rariùs: assiduáque sarritione exhilarabis, ac liquido stercore saturabis. Fiet autem incrementum multò maius, ut post Columellam scripsit Palladius, imò uerò ante utrunque Græcus Sotion, si raris linteolis, aut detritis panniculis, complura grana immiseris, deinde stercore ac terra obrueris, statimque rigaueris. Totus enim seminum unitus aceruus, in magnum ac prodigiosum porrum euadet. Quod etiam in aliis plantarum seminibus experiri poteris. Res eadem continget, si porraceo capiti semen rapi, absque ferro immittas, & ita pangas: nam sic multùm fertur increscere, de Græcorum & Palladij sententia. Non desunt, qui dum transfertur, eius capiti, ligneo stylo uel arundine, aut aliter citra ferrum puncto & aperto, cucurbitæ semen, loco rapi, intrudant. Alij semina quanta capi possunt tribus digitis, fimo oblita & prætenui calamo clausa, terræ committunt. Quæ res superioribus planè consentit. Laudat, probátque idem Sotion Græcus, statim atque satū fuerit porrum, puluinos arearum eius, & sulcos pe-

Quomodo fiat magnum & prodigiosum porrum.

Modi uarij ut porrū excrescat in caput.

Porri cultura ex Sotione Græco.

dibus proculcari: triduúmque, ac ſi negligeretur, minimè rigari: quarto uerò die, aquæ aſpergine iuuari. Nã ita perbellè adoleſcere tradit. Cæterùm, ſi inter ſerendũ aut plantandum, arenam terræ miſcueris, pleniſsimum habebis ac uberrimum. Addit ille idem Sotion, quòd qui cuminum prægustauerit, fœdum porri odorem nunquam expirabit: etiam ſi larga manu porrum manducauerit: nam eius eſu, grauis halitus extinguitur. Hîc ex Petro Creſcentio non duxi omittẽdum, quòd ſemen porri in uinum proiectum, efficit ne uinum aceſcat: imò uerò ut acetum, in uinum redeat, hoc eſt acorem omnem exuat. Facilis eſt experientia, quæ his finem faciet, ubi monuero porrum duodeuigeſimo die à ſatu plerunque prodire, & bimatum duntaxat perferre: ab eo tempore, ſementeſcere ac emori.

Porri cõman ſi odor quomodo uitetur.

Semen porri efficere ne ui num aceſcat.

Medica.

SOtion, de quo ſuperiùs, in ſuis Græcæ agriculturæ ſelectis præceptionib[9] tradit, porrum tritũ & appoſitũ, morſus reptiliũ alio quouis pharmaco citiùs, curare: eiúſque ſemen cum paſſo potum, urinæ difficultati mederi. Adhæc uetuſtis ſangui

Morſus reptilium, urinę difficultas & ſanguinis reiectio.

nis reiectionib⁹ opitulari, ſi drachmis duabus, cum pari baccarum myrti menſura, uel gallæ & thuris farina, opportunè propinetur. Hippocrates abſque ulla miſtura dari iubet: uſúmque porrorum nimium & continuum prohibet: quòd oculorum aciem hebetet, ac ſtomachum malè habeat. Qui innocentior erit, ſi tantiſper incoquatur porrum, dum in tabem ferè ſoluatur: ſic enim creditur non minus alere quàm carnes. Crudorum ſuccus Plinio inter deleteria recenſetur. Nam fama eſt, Melam equeſtris ordinis reum ex procuratione à Tiberio principe accerſitũ, in ſumma deſperatione ſucco porri ad trium denariorũ argẽteorum pondus hauſto, confeſtim expiraſſe ſine cruciatu. Sed hæc erant potiùs tacenda, quàm docenda. Redeo itaque ad præſidia. Porrum ex melle tritum ulcera purgat: & eius ſuccus cum lacte muliebri hauſtus, profluuia ex abortu ſedat: necnon aceto exceptus, ſtillantem è naribus ſanguinem compeſcit, ſi adiecto thuris polline, iniiciatur. Quin & thoracis uitia omnia, cum melle datus expedit. Hîc non omittam ex Galeno, quòd porrum acrimoniam deponere fertur ac minùs inflare, ſi

Quomodo uſus porrorũ innocentiſsimus fiat.

Succus porri inter deleteria numerandus.

Vlcera, profluuia ex abortu, ſanguis è naribus, & thoracis uitia.

bis permutata aqua, decoquatur, deinde frigida perfundatur: quo modo fluentem aluum sistere fertur, & grauem uocem explicare: lentore suo faucium asperitatem deliniendo. Vnde & perdices (si Aristoteli credimus) porro uescuntur, canorę uocis gratia. Ex quo minùs mirum esse debet, à Nerone mansum fuisse porrum ex oleo, statis omnium mensium diębus, ad conciliandã uocis præstantiam, dum certaret pro ea cũ Phonasco. Quo tempore, nihil aliud, ac ne panem quidem, sumebat, quemadmodum scribit Plinius, qui de sectiuo porro id intelligendum censet. Cui ille idem princeps Nero, autoritatem dedit. Tacendum non arbitror, quòd porri semen contusum, & ex passo, aut uino albo generoso bibitũ, lotij difficultates soluit, ac urinarios meatus aperit.

Fluor alui & uocis grauitas.

Neronem uocis gratia porrum ex oleo manducare solitum.

Lotij difficultas.

Allij cura, auxilia, & secreta. Cap. IX.

ALlium inter ruris pulmentaria celebratum, terra gaudet maximè alba, fossa & subacta sine stercore. Cuius cohęrentium spicarum diuortia, liratim seri debent, arearũ puluinis impacta, quo

Terra fouendis alliis accõmoda, eorũdéq; satio.

minùs aquis infeſtentur. Liras autem ſimi les porcis facies, quas in agris ruſtici concinnant, ut uitent uliginem: ſed multo minores eſſe debent. In quarum dorſo nuclei palmari ſpatio diſtantes, non altè depangentur, nec caſtellatim, ut multi faciunt, grumulis imponentur. Qui cum ternas fibras, ſeu folia tria emiſerint, ſarriri debẽt: nam grandeſcunt, quo ſæpius id factum fuerit, maiúſque incrementum accipiunt. Plinius ſemine etiam prouenire ſcribit, ſed tardè. Primo enim anno porri craſsitudine caput efficitur: ſequẽti diuiditur: tertio cõſummatur: pulchriúſque tale exiſtimant quidam. Si uaſtum & capitatum facere uoles, antequam ullum emittat cauliculum, uiridem omnem eius comam intorquebis, ac humi proſternes. Palladius, ſcapũ, ubi prodire cœperit, in terram depreſſum obruit: atque ita cauet ne in frõdem luxuriet: deinde proculcat, ut ſuccus ad ſpicas reuertatur, & uaſtum caput faciat. Quod unum etiam Plinius prior adnotauit. Sotion in ruſticis Græcorum obſeruationibus, adhęc Palladius & aliquot alij tradunt, quòd ſi allia terrę committantur & ex eadem eruantur, Luna ſub horizonte latente, uirus o-

Quando ſarriẽdum alliũ

Semine allía tardè prouenire.

Quomodo fiat uaſtũ & capitatũ allium.

Quomodo allia uirus odoris deponãt.

doris exuent, & mandentium halitum nullo modo uitiabunt. Quod paulò aliter Plinius interpretatur: tradēs allia in eam rem ſeri debere, cùm Luna ſub terra fuerit: & colligi, dum Soli coniungitur. Pollicetur ille idem Græcus Sotion, allia dulceſcere, ſi in plantando oliuarum nuclei illis commiſceantur & conſerantur: aut fractæ leniter ſpicæ, terræ tradantur: uel in pangēdo, olearum fraces adhibeantur. Prodit & Didymus adnotāte Ruellio, uel potiùs Sotion, ut meus habet Gręcus codex, tædium halitus à manducatis alliis conciliatum, aboleri, ſi cruda faba illis ſuperedatur. Alij, betæ radicem in prunis toſtam ſupermanducaſſe, ſatis ſuperque eſſe putant: eo ſiquidem remedio uirus mētiri & tegi, Menander è Gręcis apud Plinium pollicetur. Noſtrates apio uiridi faſtidium illud deponunt. Antiquorum plerique promittunt allia diutiſsimè duratura, & uſui meliora futura, ſi uel paleis condantur, aut fumo ſuſpenſa exponantur. Sunt qui illorum capita aqua ſalſa tepida pauliſper intingant, ſiccent, & ita recondāt. Sed hoc & illo modo, in ſatu plerunque ſterilia euadūt. Aliis ſatis eſt ſuper prunas ſiccaſſe, ne germinēt.

Quomodo dulceſcant allia.

Quomodo tædium à mā ducatis alliis conciliatum citò aboleatur.

Quomodo allia diutiſsimè ſeruētur.

Plinius ſaporis auſterioris illa eſſe tradit, quæ plures habuerint nucleos: addítque nullam odoris fœditatẽ coctis ineſſe, perinde etiam atque cepis. Nec omittit præſumenda eſſe album elleborum effoſſuris, niſi periclitari uelint. Eſt allium ſylueſtre, quod ophioſcorodon Græci nuncupant, in aruis ſponte naſcens, quo pecudum lac quę comam eius depaſtæ fuerint, allia ſubolet. Quid, inquã, lac? imò uerò caſei qui ex eo coaluerint, odoris grauitatem illam præ ſe ferunt: rura allium agreſte & ſerpentinum uocant. Quod decoctum, ne renaſci poſsit, aduerſus improbitatem alitum ſemina depaſcentium, tutò proiici libro ſuperiore admonuimus, ſcribentes à Plinio alum appellari. Sed mirabile quippiam occurrit hoc loco non tacendum: nimirum quòd muſtelæ & ſciuri tentato allio dentibus, uix audent in poſterum mordere, cicuréſque hoc modo fiunt. Eſt & illud memorabilius & multò mirabilius quod Volaterranus prodit, ſuo tempore inuentum fuiſſe ruſticum ore aperto in agris per meſſes & fœniſecia dormientem: qui cùm ſerpentem per hiantes fauces imprudenter admiſiſſet, ſeſe ſtatim commanducatis al-

Allia ſaporis auſterioris.

Lac allia redolens cum ſuis caſeis.

Mirabilis hiſtoria & ſummè notanda.

liis, ceu præſenti amuleto, curauit. Virus tamen ac mortem, uxori (res mira) in coitu ſtillauit ac transfudit. Sed hoc etiam in allio memorabile eſt, quòd ſi cum ſalſugine coquatur, curculiones leguminum efficaciter interimit, modò horreorum parietes & pauimenta, his miſcellaneis imbuantur. Hîc etiam mihi ſilentio diſsimulanda non eſt celebris illa magnetis & allij diſcordia, quam Græci antipathian nuncupant, ſicuti alibi docuimus, oſtendimúſque tantùm inter has res ſurdas & ſenſu carentes odium ineſſe, ut magnes ferrum à ſe abigat, nedũ alliciat, ſi allio confricetur: quẽadmodum Plutarchus adnotauit, & poſt illum Claudius Ptolemæus. Quæ res, cùm ſæpenumerò & mihi, & amicis meis aliter probata & explorata fuiſſet, eò me duxit, ut facilè crediderim uiros illos eximios, & in primis Ptolemæum, nequaquam de cõmuni opinione id dixiſſe, quin potius de ſuo Aegyptiaco allio rem eam intellexiſſe. Quod Dioſcorides paruũ eſſe ſcripſit, adhæc dulci, ſingularíq; capite ad purpuram uergẽte. Non deſunt qui id ophioſcorodo tribuant, quod Antonius Microphonius Biturix, amicus noſter, qui rerum experi-

Allij cũ magnete celebris diſcordia.

Summè notãda & animaduertenda.

menta diligenter persequitur, se probauisse nuper ad me scripsit. Illud postremum erit: Allia arborum ramis suspensa, accedentes ad fructuum deprædationem auiculas, longè arcent, ut in Græcorũ georgicis adnotauit Democritus.

Vt aues arceãtur ab arboribus.

Medica.

NOn temerè mihi scripsisse uidetur Plinius, allium ad multa medicamenta, ruris præcipuè, utile esse: ex quo à nonnullis theriace rusticorum appositissimè nuncupatur. Græcorum geoponici tradunt, & ex his Sotion ubique magnus ac celebris, quòd allia in cibo sumpta, uel è regione uentriculi appensa, lumbricos expellunt: & in cataplasmate, morsis à uipera, aut rabioso cane, mirũ in modum auxiliantur. Vsta & melle subacta, suggillata delent, ac liuentia ad colorẽ pulchrè reducunt. Vrinas mouent, uitiisque renum pugnare creduntur: & dentiũ dolores, ore contenta, sedare, maximè à causa frigida. Si quis illa præsumpserit, à serpentum, reptiliúmque uenenis illæsus manebit. Eadẽ percussos, trita & imposita sanant. Est & illud in iis memorabile, ut scripsit Serapio, quòd licet sanam oculorum aciem lædant,

Allium rusticorum theriaca.

Lumbrici, uiperę morsus, & rabiosi canis.

Vrinæ, renes, dentium dolor, uenena, & oculi.

nihilominus eandem humiditate hebetem refocillant. Cum oleo & ſale papularũ eruptionibus medentur, & lentigines ac lichenas emaculant. Vetuſtæ tuſsi tam cruda, quàm cocta ſuccurrunt: ſed cocta crudis utiliora ſunt, & elixa toſtis, ac ita uoci plus conferunt. Eadem qui prægustauerit, ſi uenenum hauriat, nihil incommodabit. Addo quòd qui coctionis munia obire nõ poſſunt, magnas utilitates ab allio percipient. Praxagoras aduerſus morbũ regium uino miſcet: Hippocrates ſuffitu ſecundos partus euocari exiſtimat: & Diocles phreneticos ſi elixum fuerit, ac hydropicos cum centaurio, aut in duplici fico, ad euacuandam aluum ſummè iuuari: quod certiùs præſtare aiunt uiride allium, in mero cum coriãdro tritum ac epotum. Sunt qui dentium dolores cõſopiant tribus alliaceis bulbulis in aceto tritis, & in dentium caua immiſsis. Alij, ſola aqua decoctionis eorum os colluũt. Prurigines ex aceto & nitro tollunt, ac teneſmo in pulte medẽtur. Quartanas bulbulus unus cum laſerpitij obolo potus excutit. Idem in cibo miſtus & comminutus, aduerſus pituitam gallinarum, ac gallinaceorum ualdè prodeſt. Et ſi eo trito

Lẽtigo, lichẽ, tuſsis uetus, uenenum & coctio deprauata.

Morbus regius, phreneſis & hydrops

Dentiũ dolor, prurigo, teneſmus & quartana.

Pituita gallinarum & iumentorum urina.

iumentorum natura tangatur, urinam impeditam reddere, & nullo modo torqueri aiunt. Porrò, Galenus tradit allia bis, térue cocta & elixa, acrimoniam deponere: ſed alimentum corpori paucißimum dare, quod ante elixationem omnino negabant. Abſtinendum tamen præcepit non ſolùm ab aßiduo illorũ uſu, ſed acrium omnium: his potißimùm qui natura fuerint bilioſi. Solis enim qui ſuccum crudum & craſſum aut lentum aceruarint, accommoda ſunt allia, parcè & opportunè ſumpta. Acria biliosis non conueni re, pituitoſis contrà.

Ceparum cura, auxilia, & ſecreta. Caput. X.

CEpas corpus habere pluribus cartilagineis tunicis compactum, & reuolutum, nemo eſt qui ignoret. Veteres ruſtici, ut teſtatur Columella, vniones nũcuparunt: quia uno & ſingulari conſtant capite, multis, ut allium, bulbis nequaquam coagmentato. Quod nomen apud noſtrates Gallos, uelut triuiale hactenus uſurpatur. Terram deſiderant pinguem, ut ſcribit Palladius, uehementer ſubactam, irriguã & ſtercoratam, necnon rubrã, ut Sotioni Gręco geoponico placet. Quæ pri⁹ proſcin- Cepæ cur vniones uocẽtur. Quæ terra ſerendis cepis accõmoda.

di debet, ut hyemis frigoribus & gelicidiis putrescat, sicuti tradit Columella: deinde stercorari, & mox bidẽtibus æqualiter perfodi, ac in areas disponi, omnibus herbis euulsis, & earum radicibus deletis. Quo facto, Martio mense, placido & sereno die, austro uel euro flante, semina ritè spargentur: satureia illis intermista, ut vult Plinius, quoniam sic melius proueniunt. Sotion Græcus admonet eum qui cepas plantaturus est, caudas & extremitates, fibrásq; omneis, & comam omnem auferre debere, ut magnæ & capitatæ euadant. Alij folia tantùm radice tenus uellunt: nam ita succum ad inferiora transmittunt. Sed rariùs hoc modo poni debent, Palladio autore: & runcari ac sarculari, si non sæpius, saltem quater, ut tradit Plinius. Qui etiam præcipit ter solum fodi debere, antequam serantur. Si Luna minuente seres, tenues & acriores habebis: si crescente, robustas & saporis humecti, domito acremento. Cęterùm, illud nec ignorandum, nec prætereũdum censeo, quòd in omni ceparũ genere, oblonga acrior esse solet quàm rotunda: & rufa, quàm candida: adhæc sicca, quàm uiridis, & cruda quàm cocta: necnon recens,

Quo tempore, & quomodo seri debeant cepæ.

Quomodo magnæ & capitatæ euadant cepæ.

Quomodo tenuis & acrior fiat cepa, & contrà.

quàm ſale condîta, aut elixa. Longè autem maiores habebis, ſi cum tranſlationi locus eſt, deponantur in terra uiginti diebus antè ſubacta, & tantiſper reſiccata, dum omnis humor exhauriatur, ex ſententia Sotionis Græci. Qui idem fieri etiam pollicetur, ſi detractis tunicis, nuda ceparum capita terræ committantur. Sunt qui affirment illarum ſemina ab auib⁹ nequaquam attingi: ex quo negant terra obrui debere. Quod Ruellius malè ex Palladio collegiſſe uidetur: nam anetho id aſcribit, & non cepis. Quarum ſemina, ſi ritè uoles excipere, & opportunè legere, cùm uirẽtes illæ caulem agere cœperint, humilibus canteriolis, ut docet Columella, ſtylorũ rigorem conſeruabis: ſcapóſque leuibus adminiculis in modum iugatarum uitium præfulcies: alioquin thalli uentis agitati proſternentur: deturbatíſque ſcaporum cacuminibus, totũ ſemen excutietur. Quod non antè legendũ eſt, quàm nigrum colorem præ ſe ferat: ſicuti poſt Græcos, & Columellam tradidit Palladius. Incorruptæ autem diu uigebũt cepę, ut adnotauit idem Sotion, ſi in calidã aquã, uel, ut Plinio placet, ſalſam & tepidã immergãtur, deinde inſolentur donec pe-

Quomodo maxima & ampliſsima fiat cepa.

Semina ceparum ab auib⁹ nõ attingi: & quando legẽda ſint.

Quomodo incorruptæ ſeruentur cepæ.

nitus ſiccescant, hordeaceisq́; paleis recondantur, ac ita reponantur, ut nulla ex parte ſeſe contingant. Noſtrates fumo & foculo expoſitas ſuſpendunt, ac idem aſſequūtur. Quod priſcis, ut multa alia, acceptum ferre debent. Si cepas ad portentoſam magnitudinem in caput extuberare uoles, ſemen illarum ſeminibus cucurbitæ includes, & cum fimo optimo, terræ diligenter ſubactę committes. In eandem magnitudinem etiam luxuriabunt, ſi effoſſa in circuitu terra, illorum capitula, attollendo, erexeris: ita tamen ne eradicentur, ut in porro ſcripſimus. Idem etiam obtinebis, ſi caput cepæ perforaueris, & in illud cucurbitulæ ſemen immiſeris, ac terræ utrunque remiſeris. Sed hoc loco non putaui omittendum, quòd ſi ceparum ſemina opportunè ſeminaueris, in caput quidem creſcent, ſed minùs ſeminis reddent. Si uerò capitula ſeueris, inareſcent cepeta, uel ut aliis placet, capita, & in caulem rotundabuntur. His addo, quòd ſolo erutę & humi iacentes cepæ, aut laquearibus appenſę, diutius in aëre uiuunt: imò uerò, ſi Ariſtoteli credimus, ſolſtitio, ut pulegium, & alia pleraque, ibidem florent: quaſi ancipitis ſint uitæ, modò ex

Quomodo ceparum caput in portẽtoſam magnitudinem extuberet.

Cepas diu in aere uiuere, & ibidẽ quãdoq; florere.

terra, modò ex aëre nutrimentũ capessentes. Sed facilè extra terram germinant, & humoris illectu gestiunt: uerùm acto coliculo flaccescunt. Quibus Plinius nuces aduersari & cepaceũ saporem lenire scripsit. Audio multos iuxta coronarias herbas, cepas & allia serere, ad excitandam, conciliandámque odoris suauitatem: idque ex Plinij & ueterum consilio non usquequaq; aspernando. Verumenimuero, hoc loco ualdè admirandum occurrit, quòd cepa sola olerũ omnium, ut tradit Plutarchus, Lunæ damna non sentit: habétque augendi & minuendi uires illi contrarias. Nam reuirescit & regerminat decedente ac senescente Luna: inarescit uerò ac marcescit eadem adolescente. Ex quo Pelusiotæ Aegyptij sacerdotes cepas religiosè cibis abdicabant. Cùm ergo fruges, herbæ, arbores, & animalia syderis huius damna & incrementa sentiant, sola cepa uicissitudines nouit aduersas. Huius condituram ad hyemem sic parabat Columella. Cepam, uel ascaloniã (quibus communia sunt omnia) quæ non fructificauit, nec soboles habuit adhærentes, eligebat, & in sole prius siccatam, deinde in umbra refrigeratã, substrato thy-

Nuces aduersari cepis, & cur iuxta coronarias herbas serantur.

Cepa olerum sola, Lunæ uicissitudines nouit aduersas.

Ceparum cõditura ad hyemem.

mo uel cunila, in fidelia componebat: & infuso iure, quod erat aceti partium trium, & unius muriæ, fasciculum cunilæ superponebat, ita ut cepa deprimeretur. Quæ cũ ius ebiberat, simili mistura uas replebat, & loco idoneo, usui seruandum reponebat. Hoc, licet puerile, nõ omittam, quia à Cardano uiro docto adnotatum. Literæ succo ceparum deductæ & formatæ planè inuisibiles sunt: quæ tum demũ se prodent, cùm papyrus aut res alia inscripta, excalfacta fuerit.

Medica.

Cepa uisu bona, & corpore mala.

ET si Hippocrates noster cepam aspectu magis quàm esu commẽdauerit, uisu bonam esse dicẽs, & corpore malam, quòd sit calida & æstuosa, nihilominus de eius medicis facultatibus hîc paucis agere decreui: & bona fide proferre quæ apud Græcos & Latinos cùm geoponicos tũ medicos, experimentorum professores diligentissimos, reperi. Sotion Græcus agricola & medicus, autor est, quòd si quis teneriorem cepam cum melle ieiunus quotidie mãducauerit, firmitatẽ ualetudinis custodiet. Tradit insuper ulcera ad sanitatẽ

Vlcera, uitili

perducere: adhæc uitiligines in Sole perfri ctas emaculare: & purulẽtis auribus è ſucco prodeſſe. Eadem anginis illita auxiliatur: adhæc tuſsi ſub cineribus cocta & ex oleo manducata. Sunt qui adfirmẽt uirides cepas ex aceto perlitas canis morſum poſt diem tertium ſoluere: necnõ in foculo toſtas, & cum hordeacea farina impoſitas, epiphoris genitaliúmque ulceribus auxiliari: ſuccum prętereà cum lacte muliebri inſtillatum, aurium grauitatem ac ſonitum emendare. Quem etiam multi ex aqua bibendum dederunt repentè obmuteſcentibus: exhibuerúntque cepas ipſas dyſentericis ueſcendas: quæ lumborum doloribus etiam mirificè proſunt: ſicuti ſuccus illarũ cum ſucco fœniculi incipientibus aqua intercutanea laborare. Qui unus cum ruta & melle lethargicos excitauit, & cum paſſis uuis uel fico tubercula maturauit & cõfeſtim aperuit. Addo ex Galeno quod cùm bis elixa fuerit cepa acrimoniam deponit, perinde atque allium & porrum, ſicuti anteà diximus: ſed uireis imbecilliores habet, ſucci prauitatem ampliùs nec retinens nec agnoſcens.

Vitiligines, purulentæ aures, angina ac tuſſis.

Canis morſus, epiphora, genitaliũ ulcera, & auriũ grauitas.

Dyſenteria, lumborũ dolor, hydrops, lethargus & tubercula.

Cocta cepa acrimoniam deponit.

Radicis seu raphani cura, auxilia & secreta. Cap. XI.

Raphanũ lapsam appeté tiam erigere, & eius usus.

Raphani cultus & terra.

SAtiuus raphanus, altilísue radix notior est quàm ut hîc à me explicari debeat: Nam plerique omnes cùm diuites, tum pauperes, urbani & agrestes, dum cibi fastidio urgentur, edendi appetentiam ea radice excitant, illam in taleolas uel orbiculos digerentes, & aqua ac sale imbuẽtes. Cuius talis debet esse cura, Columella autore, ut terra stercorata & subacta eius semen obruatur: atque ubi incrementum aliquod radix admiserit, subinde exaggerenda est terra. Nam si nudetur, ac Soli & aëri exponatur radix, dura fiet & fungosa ut tradit Plinius, qui terram solutã & humidam illi præscribit. Palladius tophum ac glaream reformidare dicit, & cœli statu nebuloso gaudere: prætereà quòd seri debet spatiis grandibus & altè fossis post nouam pluuiam: nisi fortè humidus ac rigationi aptus fuerit locus. Quod satum est, statim debet operiri leui sarculo, nec est ingerendum aut iniiciendum lætamen (quanquam aliter Columella) sed paleæ ut posteà dicemus. Vulgus Gallicum Rauen & reforum aut raphum nuncupare

Quomodo & quando seri debeat raphanus.

Raphani Gallica nomina.

ſolet. Sęquiente hyeme rarior eſt apud nos huius cultura: nam frigorum eſt impatiētiſsimus raphanus, qui uiolatus gelicidiis aut flacceſcit, aut emoritur. Plinius tamen frigore adeò gaudere ſcribit, ut quandoq; uiſus ſit in Germania raphanus qui infantium puerorū magnitudinem æquauerit. Ariſtomachus hyeme folia detrahi iubet: eáque ne lacunæ ſtagnent accumulare: nam ita in æſtatem grandeſcet radix. Vt ut fuerit, certum eſt frigoribus creſcere ac dulceſcere, uti rapa, ſi quidem durare poſsit: frigus enim incremētum in radices non folia cōuertit: etſi illas tum ligneſcere apud multos, Theophraſtus prodit. Radix eadem iucundior eſſe ſolet, ac palato gratior detractis foliis antè quàm decauleſcat planta, ut Plinius adnotauit. Folium autem quò leuius erit, eo ſuauiorem & mitiorem præbebit radicem: quæ ſalſugine amaritudinem, ſi quæ inſit, prorſus exuet. Ex quo ſalſis ali ſcripſit Plin. talibúſque aquis irrigari præcepit. Aegyptij nitro conſpergunt ut ſit ſuauitate commendabilior radix: quæ cortice & cartilagine conſtat: adhæc ſapore in multis acuto, ſed tamen grato: cuius pars cùm extra terram emer-

Frigoris impatientiſsim' raphanus.

Frigore raphanum dulceſcere.

Raphanum ſalſis aquis gaudere, & illis amaritudinē exuere.

ſit, dura fit, ut diximus, & fungoſa niſi circumobruatur. Fœminini generis eſſe exiſtimantur raphani qui minus ſunt acres, & folia habent leuiora ac iucundè uirentia, ut ſcripſit Palladius. Si dulces habere cupis, ex Florentini cõſilio, ſemina mulſo, uel paſſarum uuarum ſucco, aut ſaccharata aqua biduò præmacerare debes, & ſiccata terræ committere. Si maiores fieri peroptas, ſublatis foliis omnibus ſolo caule tenui dimiſſo, terra ſæpè operies, ut idẽ admonet Palladius. Quod ſimiliter fieri pollicetur Plinius, ſi palo adacto fiat cauernula quę palea inſternatur ſex digitorum altitudine, deinde ſemen raphani fimo & terra leuiter in illa contegatur: nam ad ſcrobis magnitudinem excreſcet. Verumenimuerò quia ab agreſtibus pulicibus infeſtantur plurimùm raphani, ne illis noceant remedium eſt, autore Theophraſto, eruum interſerere. Ne uerò naſcãtur nulla ſuo ſęculo reperta fuiſſe auxilia arbitratur: quæ nos libro primo ex antiquis plurima attulimus. Cæterùm hîc prætereundũ non eſt, quòd raphanis amaritudo ineſt pro corticis craſsitudine, ut tradit Plinius; qui etiam dentibus nocere ſcribit, quòd illos at-

Quomodo fiãt dulces raphani.

Quomodo fiãt maiores raphani.

Raphanũ ab agreſtib⁹ pulicibus infeſtari cũ apto remedio.

Raphanũ dẽtibus nocere,

terant. Sed hoc loco in mentem mihi uenit ſecretum multo argento œnopolis comparandum, quod gratis libenter illis impertiam. Si diſſectum in particulas raphanum dolio uini immergas, fœtorẽ omnem ac graueolentiam (ſi quę inſit) adhęc acorem in ſe recipiet ac contrahet. Qui ne ibi tabeſcat & uitium trahat, cõfeſtim eximẽdus eſt: & ſi opus fuerit, recens iniiciẽdus. Quod monuiſſe, multis profuturum mihi polliceor: tametſi ad uinorum Enchiridiõ & ſecreta transferri poterat. eſt ſanè ſecretũ hoc & miraculum ſummè admirabile, cùm raphano pernicialia ſint cum uitibus odia à Plinio, Galeno, & Palladio diligenter adnotata. Quæ adeò infenſa eſſe tradũt, ut in braſsica oſtendimus, quòd ſi iuxta ſerantur, ad ſenſum diffugere uideãtur, occulta neſcio qua naturarũ diſcordia: imò uerò ſi permutatis ſcrobibus pangantur, nullo modo comprehendant. Ex quo Androcides medicinam cõtra ebrietatem eſſe dixit raphanũ & braſsicam: quam uetus Græcia apertè cum raphano cõfudit, ſicuti in hiſtoria braſsicæ oſtendimus. Vnde mirum eſſe non debet, ſi communia habeant multa. Fuit ſanè apud priſcos in tãto hono-

& corrupta uina emendare.

Pulchra & notatu digna

Raphano eſſe odiũ perniciale cum uite.

Raphanũ in ſummo ho.

nore fuisse apud priscos. re raphanus, ut Moschion Græcus de eius laudibus unum scripserit uolumen. In quo illum cæteris cibis in Græcia usqueadeò prælatum fuisse tradit, ut Delphis in tēplo Apollinis ex auro dicaretur, beta ex argento, & rapum ex plumbo. Sed ne, obsecro, omittamus quòd ebora perbellè expolire fertur, & salis cumulos in aqueam salsuginem transmutare & redigere, si illis consepeliatur. Festinās ad finem penè omiseram (quòd initio dictum oportuerat) raphanū transplantatione acrimoniam deponere, & summam gratiam in cortice habere, modò recens fuerit & non inueteratus: idcirco multi exemplo parum imitabili, illum temerè à corpore exuunt ac deradunt. Et ne quid dissimulem quod uel legerim, uel audiuerim, uel obseruauerim, ex raphano acetum fieri posse, autor est Petrus Crescentius in suo de Agricultura opere. Radices raphani, inquit, siccato & in puluerem redigito, deinde in uas quod uinum habeat infundito, misceto, ac dies aliquot quiescere sinito, & acetum tibi comparabis raphanatum ad renum calculos atterēdos & deturbandos, aliáque multa, summoperè utile.

Raphanum ebora polire, & salem eliquare.

Acetum raphanatū nephreticis calculosis summè utile.

Medica.

FLorentinus Græcus in ſuis de Agricul tura commentariis ſcribit raphanum pituitoſis ualde cõmodare, & nephreticis calculo uexatis appoſitè mederi: maximè ſi quis partem illius externam cum uino albo & aqua coctã, uel tuſam necnon percolatam, ieiunus diluculo hauriat, & dies aliquot id facere perſeueret. Vacuo ſtomacho exhibetur ut meatum uomitionibus præparet ex aqua tepida: in quã rem medici potiùs ſemine utũtur quàm carne. Si cum oleo manducetur, eructationes de uentriculo, quas ſolet, ciere non poteſt: nã eas exhalare non ſinit oleum. Succus ex paſſo potus regium morbum curat, & cum melle potus tuſſes ſanat. Quæ res etiã ſuſpitioſis & anheloſis medetur. Radix tota uenenis uſqueadeò aduerſatur, ut præſumentibus ieiunis non ſint nocitura. Et qui eius ſucco infectas habuerit manus, ut libro primo adnotauimus, ſerpẽtes impunè tractabit. Addo, quòd ſcorpionibus impoſitus raphanus illos confeſtim emori cogit. Sed illud de multis uidetur memorabile, quòd qui raphanũ prægustauerit, ſi à ſcorpione feriatur, citra uitæ aleam ad integrã

Pituitoſi, nephretici, & calculoſi.

Vomitiones & ructus.

Icterus, tuſſis, aſthma & uenenum.

Scorpius, uibices, cicatrices, lẽtigines alopecia & quartana.

ualetudinem redigetur: & si quis à tormẽtis plagas ac uibices accepit, trito & imposito raphano emendabit. Reducit etiam cicatrices ac liuores ad colorem, lentiginésq; in facie delet, ac quartanarios liberat si cõtinuo usu uentriculus in uomitiones effundatur. Puerperis ac nutricibus ad lactis copiam augendam efficaciter exhibetur: & ructus primo cibo sumptus laxat, urináfq; exhaurit. Hactenus meliori ex parte Florẽtinus inter Græcos geoponicos admirabilis. Hippocrates, ut medica rusticis coniungam, capillos mulierum defluos raphanis fricari iubet: ac super umbilicum poni contra vuluæ cruciatus. Praxagoras iliosis dandos cẽset: & Plistonichus colicis. Cum melle non solùm menseis euocant, sed & intestinorum animalia detrahunt: opitulantur etiam anginis cum aceto mulso gargarisati, ut uerbo utar medico. Sed in his Galenum audiendum esse quis dubitat? Radix raphani (inquit) ex iis est quibus asiduè uescimur: éstque obsonium magis quàm alimentum. de raphano hactenus.

Lac, ructus & urina.

Capilli, vulua, iliosi, colici, menstrua, lumbrici & angina.

Cucurbitarum cura, auxilia, & secreta. Cap. XII.

DE internis fœtibus terræ hortẽsis hactenus sit scriptum: nunc demum agẽdum de his qui extra terram sunt, & cartilagineo generi ascribuntur. In quorum censu quia cucurbitæ primas sibi uendicãt, idcirco de illis primo loco dicemus: quas nemo non uidet aut in longum prorogari, aut in breue crassamentum, collo prominulo, cogi, uel in orbẽ intumescere. Priores suum nomen retinent, postremæ citruli aut turcicæ dici solent: erumpúntq; omnes plurimùm post sextum septimúm ue diem à satu: reptantibus flagellis & capreolis dum adolescũt, ceu cirrhis quibusdam & capillamentis, altéque scandunt, natura sublimitatis auida: sed absq; adminiculis stare nequeunt, leui umbra cameras, testudines ac pergulas opacantes, depẽdente à tenui pediculo fructu ponderis plerunq; enormis. Amant solũ pingue, humidũ, stercoratũ & solutũ, ut scribit Palladius. Quibus si copia aquæ adfuerit, minorẽ curam desiderãt: nã humore plurimũ iuuantur: licet reperiantur, quæ sine multa rigatione conualescãt, & hinc iucundioris gustus fructum præbeant. Si sicco fuerint cõmissæ solo, fictilia aquæ plena iuxta ponẽ-

Cucurbitarũ differentię & natura.

Cucurbitæ sublimitatis auidæ

Quænã terra cucurbitis apta, & quòd humore iuuentur.

da erunt: inditis fasciis, quæ perpetim humorem stillent. Quod auxilium maximè proderit per æstus & squallores. Seminis parum habent longiores & tenuiores, atque ob id cibis gratiores esse solēt, & esculentæ merci, cucurbitarió ue foro aptiores. Quas si tibi cōparare uoles, ex Columellę, Plinij & Palladij cōsilio, hac uia procedes. Semina de collo cucurbitæ sumpta, recto cacumine seres, stercorabis ac rigabis. Si uastioris incrementi optas, de medio uentre extractum semen, inuerso cacumine telluri depone. Tales, ubi inaruerint, cadorum uices supplebunt ad uina, olea aut grana condenda: quòd aluo capaciore plus cæteris intumeāt. Quare peregrè proficiscētes, illis carne priùs exinanitis, urceorum loco uti solēt: uinum & aquam infundentes, quibus se ab excruciante siti, & itineris molestia, opportunè uindicent, collapsásque fatigatione uires actutum reparent. Si latas & amplas habere tibi cordi fuerit, semina quæ in fundo latitant, inuersis cacuminibus terræ mandabis. Quæ si à pulicibus insestentur, curabis origani ramulos iuxta pāgendo. Nam uel insidentes enecabunt, uel nouos creari non patientur, si-

Quomodo fiant longæ cucurbitæ: adhæc uastæ & crassæ.

Cadi uiatorij ex cucurbitis.

Quomodo latę & amplę fiant cucurbitæ: & à pulicibus liberētur.

cuti Græca Quintilliorum teſtantur georgica. Ex quibus etiam quæ ſequuntur tibi libenter deprompſimus. Naſcetur abſque ullo ſemine cucurbita, uti etiam cucumis, ſi ſpargendum ſemen, triduum antè, ſeſamino oleo, uel ſabino, ut legit Palladius, maceretur: aut herbæ ſucco imbuatur, quę culex vulgo, & culix Plinio, Græcis uerò (quantum coniectare licet) conyza nuncupatur. Idem fiet, ſi uitium more, ſarmẽtum primum aut uirgultum ita defodiatur, ut ſolum eius caput exertum promineat: quod ubi adoleuerit, repetẽdum erit, & tertiò, ſi opus fuerit, faciendum. Danda tamen erit opera, ut quæ adnaſcentur propagines, ſuper terram extantes reſecentur: ſeruato duntaxat eo ſarmento & uirgulto quod poſtremum fuit. Ita curatæ cucurbitæ, cum cucumeribus, fructus abſque inteſtinis ſeminibus creabunt, ſolis cartilaginibus contentæ. Quòd ſi & huius, & illius, pręmaturos ac pręcoces fructus habere uoles, ex eorundem Quintilliorum doctrina, ineunte uere terram cribro excretã, fictilibus aut cophinis inutilibus impones, miſtoque ſtercore, modicum præbebis humorem: deinde calidis diebus & inſolatis,

Quomodo naſcatur cucurbita abſq; ullo ſemine, & item cucumis.

Quomodo fiat præcox cucurbita, & item cucumis.

uel imbrem leuem ſpargentibus, ſub dio ſtatues, & Solis occaſu ad tectum referes: ídque tandiu facies (ſubinde aqua irrigās) dū frigora, tempeſtates & gelicidia diſcutientur. Poſteà cùm primùm opportunitas uocabit, totos cophinos & fictilia labro tenus in terram ſubactam & excultā demittes, ac reliquam diligentiam impendes: & ita cucurbitę ac cucumeris præcocem fructū habebis. Res eadem faciliùs & minore cùm temporis, tum laboris impendio fiet, ſi luxuriātes cucurbitarū, uel cucumerum uiticulas putaueris: nam ſic fœtus ſuos celeriùs edent. Si formas uarias & characteres diuerſos in cucurbita, uel cucumere repręſentari deſideras, florem uel primum utriuſque rudimētum, uti erit in ſua uite, in effigiato, ut uoles, intus fictili aut conceptaculo alio claudes ac deligabis. Nam qualem uultum impreſſa figura pręſtabit, talem cucurbita, uel cucumis præſeferet. Tam enim nouæ formæ utrunque eſt auidum, ut uaſis cui indideris, æmula facie imaginem repræſentet: quemadmodum in Quintilliorum georgicis adnotatum reperi. Quod Gargilio Martiali cur aſcribat Palladius, non uideo. Itaque qua cogetur

Artificioſa inuentio.

Quomodo formæ uarię & characteres cucurbitę aut cucumeri imprimātur.

forma cucurbita, eadem creſcet: plerunque ſub draconis intorti imagine, ut tradit Plinius. Si longas & anguſtas tibi fieri cõtendis, nuper editos in lucem cucurbitinos partus cum uiticularum capitibus fiſtulæ aut arũdini inſere, cui priùs omnes nodos perforaueris: ibi in prodigioſam lõgitudinem procedere animaduertes. Nam quòd latitudini per teretem fiſtulæ anguſtiam demetur, paria faciendo, longitudine penſabitur: adeò ut libertate penſili conceſſa, Plinio uiſa ſit cucurbita nouem pedum lõgitudinem coæquaſſe. Nec ignorandum quòd quæ poſteà naſcentur ex iſtarum ſemine, longitudinem eandem abſque ullo mangonio & artificio retinebunt. Similes omnino efficies, ſi in patens uaſculum, aquam quinque uel ſex digitorũ interuallo, pendentibus cucurbitis ſubieceris. Nam ante poſterum diem ad aquan, ueluti adrepentes, deſcendiſſe, & ſeſe in tantum extendiſſe obſeruabis. Deſtitutis uerò ſua aqua uaſis, decuruabuntur, ac inflectentur: uſqueadeò humore gaudent, & ſiccitates refugiunt. Secus de oleo ſentiendum: nam illud tam infensè oderũt, ut ſcribit Plinius, quòd ſi loco aquæ illis ſubiiciatur, aut ap-

Quomodo fiant lõgæ & anguſtæ cucurbitæ.

Cucurbita lõga pedes nouem.

Modus alius comparandi longas & anguſtas cucurbitas.

Oleũ cucurbitis ſummè inimicum.

ponatur, in contrariam partem uergant. Si minùs id possunt, sese intorquent, & uelut indignatæ, in modum hami recuruant: quod nocte una deprehenditur. Cæterùm, summè cauendum est, sicuti Columella, post Florentinum Græcum admonet, ne ad cucurbitarium, cucumeriúmue, mulier accedat, uel quam minimè admittatur: nam contactu eius lãguescunt uirentium incremẽta. Quæ si in menstruis fuerit, uisu quoque suo tenellos fœtus necabit: aut insuaues, uel tabidos reddet. Seminibus destinatæ cucurbitæ, ad hyemem usque in sua uite pendere debẽt, ut tradit Pallad. ex qua sublatæ, uel Sole, uel fumo siccabũtur: alioquin semina marcore putri cõfecta uitiabuntur. Diu recentes durabunt & cucurbitæ & cucumeres, si in albi uini fecem non peruersam, picatis doliis demergantur & operiantur. In muria itidem incolumes perennant. Sed illis uita, uigórque longo tempore permanebit, ut Quintilliorum georgica fidem faciunt, si in cadis paucum acetum cõtinentibus, ita sublimes pendeant, ut acetũ nullo modo contingant. Verùm, oppicanda erunt uasa quæ huic negocio destinabun-

Mulieres ad cucurbitaria accedere nõ debere: nec item ad cucumeraria.

Quomodo diu recentes durabunt cucurbitæ & cucumeres.

Oppicanda esse uasa acetũ continentia.

tur, ne foras acetum uaporet, naturâ alioquin penetrabile, ob partium tenuitatem. Hoc itaque artificio recentes cucurbitas hyems tota opportunè tibi miniſtrabit. Quas ſi uoles, etiam ſeruabis, ſi dum tenereſcunt incideris, & feruefactam aquam affuderis, totámque noctem, ſub dio perfrigeraueris, & poſteà in acri muria compoſueris: ſic in alios prouentus egregiè cuſtodies. Hoc loco mihi in mentem ſanè quàm opportunè uenit, quod Athenæus refert: demiratos conuiuas ſuos, quòd Ianuario mēſe uirides cucurbitę in eſcā oblatæ fuiſſent, peculiaris ſucci non immemores, & natiuum ſaporem retinentes. Quod olitorum ſtudio, qui artem hanc percalebant, referendum omnino putabāt. Erant autem, ut ſcribit, à ſalgamariis qui hortēſes condituras profitētur, aſſeruatæ. Quem modum longè ante Athenæum, Nicander & alij plerique docuerunt: iubentes cucurbitas in aëre priùs ſiccatas, & funiculo trāſfixas, fumo appendi, ut refertas iis ollas, per hyemem ocioſa ſeruitia ſorberēt. Hodie per hybernos menſeis omneis, laquearibus & tabulatis ædium appenſę, uirides & cibis non ingratæ, à noſtratibus ubique

Pulchra hiſtoria de hyemalibus Athenæi cucurbitis.

Quomodo ſeruentur hodie apud nos cucurbitæ.

custodiuntur: maximè quæ citruli nuncupantur: vulgaribus lõgè duriores, & proinde corruptionis labem, tam facilè & repentè nec agnoscentes, nec sentiẽtes. Purgatorias facies & deiectorias, ut alia pleraque, si illarũ semen noctem ac diem, cum rhabarbaro, agarico, scammonia, colocynthide aut aliis purgantibus medicamentis simplicibus, præmaceraueris, deinde, qua dictum est formula, seminaueris. Et cùm insipida sit cucurbita, quo uoles sapore & odore facilè imbuere potes, si semina antè quàm terræ committantur, in illo præmaceres: hũc enim, ubi adoleuerit, ad unguem referet: non dico cruda, sed etiam cocta: perinde atque cucumis. Fiet idem prorsus absq; ulla arte, si dum coquitur, quem uolueris saporem, colorem, aut odorem iniicias. Nam & cucurbita & cucumis ex eorum sunt genere, quæ Græci ápoia uocãt, hoc est qualitatis omnis expertia. Latini, insipida & fatua nuncupant, quẽadmodũ in beta adnotauimus. Hoc ferè omiserã. Cucurbitę uni fructuũ omniũ qui extra terram sunt, cortex maturitate in lignum transit. Præterierã penè & illud, quòd cucurbita in osium humanorum cineribus

Quomodo fiant purgatoriæ cucurbitæ & fructus alij

Cucurbita & itẽ cucumis quomodo saporẽ & odorem quẽuis suscipiant.

plantata, & oleo rigata, nono die fructum profert, ut autor est Hermes. Qui, quia uana multa tradit, idcirco rerum plurimarũ fidem mihi suspectam relinquit. Incertum facit experientia certum.

Medica.

CHrysippus medicus apud Græcos celebris, cucurbitas in cibo damnauit, ceu stomacho inutiles. Diphilus cõtrà affirmat easdẽ ex aqua & aceto coctas, uentriculum roborare. Afri & item Græci geoponici, aluum lubricare tradunt: earũdémque succum instillatum dolentibus auribus ualde prodesse affirmant. Caro interior, suis spoliata seminibus, pedum clauis auxiliatur: & decoctæ succus mobiles dentes stabilit, illorúmq; dolores cohibet, maximè à calida causa contractos. Corticis ramenta, tusa & infantium capitibus illita, ardores extingunt ex siriasi: & podagras calidas refrigerant. Si quis in crudam cucurbitam excauatam merum infundat, & sub dio contineat, illúdque temperatum propinet quibus aluus est suppressa, ad excernẽdum inuitabit. Cinis aridæ impositus ambustis, mirè opitulatur. Sed hîc nec omittendum, nec dissimulandum puto, quòd

Cibi cucurbitarum opinio uaria.

Aurium dolor, pedũ claui & dentes.

Capitis ardor, podagra suppressio alui, & ambusta.

Quomodo parãda in cibo cucurbita

tosta cucurbita, uel in patinis, aut sartagine frixa, multò est salubrior, quàm cruda. Nam inter assandum uim magnam humoris aquosi deponit: ideò ualentiùs ac præstantius exhibet alimentum. Elixa, acrium societatem postulat, alioquin fatua habetur & insipida: imò uerò acidorum, austerorum, salsorum, & aliorũ contubernio gaudet: quorum uires corpori nostro cõmunicat: fitque ita, ut nausea, quam solet creare, prorsus uacet: quemadmodum doctè & eleganter scripsit Galenus.

Quomodo nausea uacet cucurbita.

Cucumerum cura, auxilia, & secreta. Cap. XIII.

ANtequam hîc de cucumerib⁹ qui cartilaginei sunt generis aliquid scribã, pauca præfabor. Proximo capite secreta multa cucurbitis & cucumeribus cõmunia, in medium attuli, Aphros & Grę-cos geoponicos sequutus. Qui, quantùm equidẽ sentio, cucurbitas cũ cucumeribus quadam naturæ cognatione confuderunt: uti etiã Plinius. Hinc Euthydemus Atheniensis, libro quem de oleribus condidit, cucurbitã uocauit Indicum cucumerem. Et Menodorus Erasistrati sectator duplicẽ

Antiquos cucurbitas cum cucumeribus confudisse.

eam fecit. Vnam Indicam, quæ (ut loquitur) cucumis eſt: & alteram, quæ vulgaris eſt cucurbita. Sic Helleſpontij cucurbitas longas, cucumeres uocarunt: rotundas uerò, cucurbitas. Addo, quòd uentroſum illud inſtrumentum, quo corporibus affixo, uel ſpiritu, uel leni ſcarificatu ſanguis elici ſolet, Græci medici ſicyan & ſicyn à cucumere, Latini uerò diminuta uoce à cucurbita, cucurbitulam dixerunt: vulgus uentoſam nominat, aptiùs fortaſſe uentroſam. Ex his liquidò conſtat, rerum nomina & proprietates plerunque ab autoribus confundi. Quapropter mirari deſines, ſi multa cucurbitis & cucumeribus ex cognatione, priſcos ſequuti, communia fecerimus: quæ hîc non ſumus ſcripturi, formidantes tædium ex iteratione gignere. His poſitis ad rem uenio. Cucumeres, Palladio autore, ſulcis rarè factis ſeminandi ſunt: altitudine ſeſquipedali, latitudine uerò pedum trium. Sed inter ſulcos ſpatiū pedum octo relinquendum eſt, ut liberè poſsint euagari. Sarculo & runcatione non indigent, ꝙ herbis plurimùm iuuentur. Serpūt ſarmētis, ac uitilibus prælongis, uitis modo, ſeſe in ramos diffundunt: quos ob caulis infir-

Pulchra & notatu digna

Quomodo ſeminandi & tractandi cucumeres.

Infirma & caduca cucumerũ natura

mitatem humi dispergunt: nisi adminiculum propiùs obiiciatur, cui caduci incumbant. Die sexto uel septimo post satũ emicant: quibus si copia aquæ adfuerit, minorem curam desiderant: nam humore plurimùm iuuantur, perinde atque cucurbitę, sicuti nunc nuper scripsimus: hyemem tamen & frigora summè perhorrent. Quorũ semina si biduò ante sationẽ, lacte ouillo, ut vult Palladius, uel mulso, ut Plinius, aut aqua mellita, uel saccharata præmacerentur, dulces reddent cucumeres, adhæc teneros, candidos, & iucundissimos, cùm sapore, tum aspectu, ut adnotauit Columella, & ante eum Florentinus Græcus: necnon post utrunque Plinius ac Palladius: quibus omnibus subscribit experientia. Præcoces & præmaturos, imò uerò anno toto qui uolet habere, præcedens cucurbitarum caput cõsulat: & quod ibi fuit omissum de fictilibus & cophinis, uasisque aliis, præsenti admonitione resarciat: nimirum quòd rotulæ illis subiici possunt, ut minore labore pensiles ipsorum horti, cùm opus fuerit, foras producantur, & rursus intra tecta reducantur. Possunt etiam specularibus uestiri, ut spirantibus uentis, & uigen-

Quomodo fiant dulces cucumeres & iucũdissimi.

Quomodo præcoces, & præmaturi fiant.

Pulchrum artificium.

te frigido cœli ſtatu, Soli abſque iniuria exponi queant. Hac ratione, toto ferè anno Tiberio Cæſari cucumis præbebatur, mira uoluptate illi expetitus: quemadmodum poſt Columellam, poſteritatis memoriæ mandauit Plinius, quem nullo non die ei contigiſſe ſcribit. Sed leuiore negotio ac labore, id etiam confici apud Aegyptiæ gentis Dolum Mēdeſium, autor eſt Columella. Aprico, inquit, & ſtercoroſo loco, alternis ordinibus ferulas, alternis uerò rubos cōſita habere oportet: & confecto æquinoctio paululum infra terram ſecare: lignéóque ſtylo laxatis, uel rubi, uel ferulæ medullis, ſtercus immittere: atque ita ſemina cucumeris inſerere, quæ ſcilicet incremento ſuo, rubis & ferulis coëant. Nam ita, nō ſua, ſed quaſi materna radice alentur: naſcentúrque fructus, qui inter frigora etiam uigeant. Rem eandem tradit Plinius, admonens Columellam ſuum hîc commentum prodidiſſe: quanquam autorem producat. Sed Plinium audire præſtabit: Columella, inquit, ſuum tradit commentum ut toto anno contingant cucumeres: fruticem rubi quàm uaſtiſsimū in apricum locum iubet transferre, & recidere, duū di-

Alia uia & modus accelerandorum cucumerum.

Sūmè aduertenda & obſeruanda.

gitorum relicta ſtirpe circa uernum ęquinoctium, ita in medulla rubi ſemine cucumeris inſito, terra minuta, fimóque circũ aggeratas reſiſtere frigori radices. Vt ut fuerit, Plinio cum Columella hac in re malè cõuenire uides. Nam ille circa ęquinoctiũ uernũ id fieri iubet: hic uerò circa autumnale, ut interpretatus eſt & trãſcripſit Palladius: cui ſuffragandum arbitror. Si longos & teneros habere deſideras, adhæc ſine ſemine, & qua uolueris effigie formatos, necnon recentes tota hyeme, ad præcedens caput recurre. Vnum tamen ibi omiſſum hîc non tacebo, nempe quòd priſci ſalgamarij cucurbitas & cucumeres ſale, aceto, fœniculo & ſampſucho condire ſolebant. Sunt qui uirides ſeruari dicũt, trito ſinapi cum aceto. Plinius in ſcrobe, opaco loco arena ſubſtrato illos componit, fœnóq; ſicco & terra operit. Athenæus plenilunio in hortis maximè gliſcere, & manifeſtum incrementum capeſſere tradit: necnon more echinorum marinorum impleri: quod aquei humoris ſummum eſt argumentum. Athenæo ſuffragatur Plinius, additque, quoties cœlum tonat, uelut timore perterritos conuerti. Sed memorabile illud eſt,

Quomodo olim cõdiebantur cucumeres.

Cucumeres lunari defluuio ſubiici.

quòd à mulis cucumeres ſummoperè expetuntur, mira oleris huius uoluptate illecti: cuius odorem, uel eminus ſentiunt. Quare muniẽda ſunt cucumeraria, ne illi erumpentes ea depopulentur, ac proterãt. Memorabilius & illud, quòd in Græcis Quintilliorum georgicis legi, & à multis non infœliciter probatum audiui. quid illud, inquies? Si febricitanti infanti qui adhuc lacte nutritur, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quaſi condormiſcant, ſtatim ſanabitur: nam febrilis calor omnis in illos tranſilit. Penè omiſeram quòd ſi parum aquoſos habere libuerit cucumeres, ubi ſcrobem foderis in quem illos depoſiturus es, dimidium altitudinis eius, paleis aut ſarmentis implere debes, & terra aggeſta, abſque irrigatione reliquum abſoluere. Quòd ad deiectorios & purgantes attinet, ſi radices agreſtis cucumeris tuſas, aut rhabarbarum, agaricum, cnicum, uel quid ſimile in potabili aqua per triduum maceraueris, & diebus quinque plantulas cucumerarias huius liquoris hauſtu ſatiaueris, uentris purgationem ab his ſollicitabis. Quæ ualidior erit, ſi dum radices ſua fundũt germina, circunfoſsis &

Munienda cucumeraria aduerſus mulos.

Notanda pro febricitãtib⁹ infantulis.

Quomodo parandi ſint cucumeres parũ aquoſi.

Quomodo fiant purgatorii cucumeres.

ablaqueatis tenuibus fibris, ellebori aut alterius purgantis medicamenti ſimplicis, portionem adieceris. Hoc tãtùm ſupereſt. Matron ſuis carminibus, ut eſt apud Plinium, cucumerem terræ filium nominauit: & Heraclides Tarentinus, hedygeon, quaſi terræ ſuauitatem.

Cucumis terræ filius & ſuauitas.

Medica.

DIphilus Caryſtius, medicus apud Græcos doctiſsimus & agricola optimus, cucumin primis menſis, ueluti noxium damnauit: ut qui raphani modo ſurſum feratur: ſed poſtremo cibo ſumptũ, concoctu faciliorem promiſit, alioquin epulis abdicauit. Cuius ſemen urinas acres contemperare, autores ſunt qui de rebus agri & medicinæ ſcripſerunt. Idem Diphilus admonet uim refrigerandi habere, & ob id ægrè in corpus diſpenſari, difficultérque per uentris anfractus euadere. Quin & horrores concitare, ac bilem creare, & Venerem conſopire. Quod Græci celebratiſſimo hoc prouerbio, ut refert Athenęus, teſtatum uoluerunt: Mulier pallium texens, cucumerem deuoret. Quoniam textrices magna ex parte, ſi Ariſtoteli credimus, ſunt impudicæ, & Veneri admodum opportunæ:

Cucumis olim primis menſis damnatus.

Vrinæ acres, horrores, bilis & Venus.

portunę: quod ſit ueluti per tranſennam di ctum. Redeo ad cucumin, cuius ſemen in lacte uel paſſo utiliter iis propinatur, quibus ueſica exulcerata eſt: adhæc, tuſsientibus, ſi quantùm tres digiti prehenderint, cũ cumino teratur, & ex uino hauriatur. Prodeſt etiam phreneticis in lacte mulieris, & dyſentericis acetabuli menſura: necnon purulenta excreantibus, pari pondere cum cumino. Totus ac integer, abſtergendi & incidendi facultate pollet: quare ſplendida reddit corpora: eóque magis, ſi quis ſemine arefacto, tuſo & cribrato, uice pulueris abſterſorij utatur. Sed pulchrum erit Claudium Galenum audire, eleganter diſſerentem de cucumerum uſu & facultatibus. Quibus cucumeres, inquit, probè concoquere datum eſt, dum in hoc fiſi, intrepidè, affatimq; iis ſeſe explent, longi temporis tractu, gelidum & utcunque craſſum humorem in uenis aceruari contingit. Qui per eam qua uenæ funguntur coctionem, haud facilè in probum ſanguinem poteſt conuerti. Ob eam igitur cauſam, omnibus (inquit) praui ſucci eduliis abſtinendũ cenſeo: etiam ſi ea quibuſdam concoctu ſint facilia. Nobis enim

Veſicæ ulceratio, tuſsis, phreneſis, dyſenteria & purulẽta excreatio.

Cucumis abſterſorius.

Cucumeres craſſum humorẽ in uenis aceruare.

non aduertentibus prauus ſuccus ex ipſis poſt longũ tempus in uenis colligitur, qui poſteà exiguam ad putrendũ occaſionẽ nactus, febres malignas accendit. Hactenus Galenus.

Abſtinendũ à cibis praui ſucci.

Peponum, melonum, ac melopeponum cura, auxilia, & ſecreta. Caput. XIIII.

PAuca de peponibus & aliis hîc ſcribã: quòd cucumerũ generi, priſcis rei ruſticæ doctoribus Græcis & Latinis cõtribuantur, & proinde multa illis affinia agnoſcant. Ex quo cucumeres in pepones, & melopepones degeneraſſe uiſum eſt. Qui duo poſtremi figura tantùm & quantitate inter ſe diſsident. Nam cùm magnitudine exceſſere, pepones uocantur: dum uerò rotundi, formam & effigiem mali retulerunt, facta ex pepone & malo nomenclatura, melopepones ſunt uocati. Vnde Palladius totum hoc genus, melones à malorũ figura, ac ſi dicas pomeos aut cotoneos nuncupauit. Qui pendêre non ſolent, ut ſcripſit Plinius, ſed humi rotundari: maturitatẽ præ ſe ferentes, cùm pediculus à corpore ſecernitur, & ſuauis odor ab umbilico

Pepones cucumerũ generi olim aſcripti.

Forma peponum, melopeponũ, & melonum.

nares ferit. Omnes rariùs ſunt ſerēdi, ita ut ſemina inter ſe pedib⁹ duobus diſtēt, locis ſubactis, & areis diligēter paſtinatis: libertate enim gaudēt, qua ultrò citróq; uagari poſsint: ac herbis impensè iuuantur, ut cucumeres: quare ſarculatione ac rūcatione parū indigēt. Vite prælonga ſerpūt, flagellis hincinde reptātibus: ſúntq; fructu cartilagineo (de peponib⁹ loquor) orbiculatim ſtriato, prominulis puluinorum toris, ſtriglibus in uertice & umbilico coëuntibus, ac ibidem ſtellatim decuſſatis: adhæc cute aſpera & uelut lentiginibus occupata: necnō carne intus ſuaui, ſeminibus in utero liratim digeſtis. Quæ ſi mulſo, uel lacte per triduum macerentur, & exſiccata ſolo credātur, longè maiorem ſuauitatem contrahēt pepones qui inde naſcentur, ac palato gratiores erūt. Odorati fient, ſi ſemina diebus multis inter roſæ folia deponantur, & mixtim cum illis plantētur: aut roſacea aqua uel alio odorato liquore imbuantur, &, ut dictum eſt, terræ cōmittantur. Autor Florentinus in ſuis de agricultura Græcis prçceptionibus, & poſt illum Palladius. Hîc non eſt omittendū quòd à felibus ſummè expetuntur & auidè, quare à peponariis

Quomodo ſerendi pepones.

Pulchra peponū deſcriptio & hiſtoria.

Quomodo ſuauiſsimi fiant pepones.

Quomodo odorati fiant pepones, à quibus arcēdi feles.

ſunt arcendi. Reliqua ex cucurbitarum & cucumerum ſecretis erunt petenda: cũ quibus multa, ut præmonuimus, communia agnoſcũt pepones. Quare ſi præcoces, ſi amplos, ſi effigiatos, ſi abſq; ullo ſemine tibi cõparare cupis, præcedens cucurbitarũ caput, ſi uidetur, relege & conſule.

Autori moleſta repetitio.

Medica.

QVoniam per æſtatem & autumnum noſtrates cùm urbani, tum ruſtici homines plerique, peponibus menſas onerare ſolent: & his uentriculum ſaburrare, noxa ſæpenumerò irreparabili: idcirco de illorum facultatibus ex Græcis & Latinis agriculturæ ac medicinæ profeſſoribus, hîc ſeriò philoſophari conſtitui. Diocles Caryſtius in libris ſalubrium quos edidit, peponem concoctu facilem, cordíque mirum in modum placere ſcripſit: ſed parum iuuamenti adferre. Diphilus facilè craſſeſcere tradidit: adhæc paucam alimoniam ſuppeditare, & per aluum ægrè exigi. Phænias eum duntaxat qui eſt citra ſeminium, crudum edendum cenſet. Galenus pepones omnes refrigerare, & largo humore imbui ſcripſit: ſed non abſque manifeſta detergendi faculta-

Pepones urbanis & ruſticis familiares alicubi.

Peponũ qualitas & natura.

Pepones deterſoria facultate præditos eſſe.

te: uel eo nomine quòd obsitam pędore cutim illustrent, ac lentigines & uitia insolatæ faciei, cùm uitiliginibus emaculēt, prę-sertim ex semine. Addit improbum creare succum, tametsi à stomacho interdum probè conficiantur. Prætereà, cholerā concitare, & humoris copiam súsque déque effundere. Primo cibo sumi debent, ita tamē ut qui pituitosi sunt, uinum uetus superbibant: & biliosi acidulum cibum præsumant: nam sic omnis abigetur noxa. Is enim cibus sanè quàm facilè in flauam bilem, uel pituitam degenerat. Qua ex re biliosos prædulcis pepo, pituitosos uerò immaturus offendit. Longos rotundis multi præferunt: omnes tamen aluum mouent, & urinā cient, modò fuerint maturi: proindéque renibus utiles esse cēsentur: sed semen uehementius, adeò ut concretos inibi calculos deturbet. Corium oculis humore uexatis fronti alligatum, fluxiones in illos ruentes efficacissimè sistit, ac compescit. Succus cum semine in farinam siccatus, smegma fit ad cutem expurgandam, & nitorem in facie conciliandum. Vomitum in paratis corporibus omnes eliciūt pepones, nisi cibus succo bono præditus, superman-

Quando & quomodo sumendi pepones.

Pepones omnes aluū mouere & urinas.

Calculus, fluxio oculorū, & nitor faciei.

Vomitus & Venus.

datur: nam ita deorſum feſtinantiùs deuoluuntur. Tradunt medici plerique, fruentium in Venerem deſideria illos fręnare, & genituram minuere. Pro quibus hæc ſatis erunt, ubi monuero quòd melonis fruſtulum ollæ iniectum celerem carnium coctionem iuuare traditur: perinde atque urticæ aut ſinapis ſemen, uel fici ſurculus, ut ſuo dicemus loco.

Cinaræ, ſeu hortenſis cardui cura, auxilia, & ſecreta.

Cap. XV.

Quomodo cardu⁹ ex agris ī hortos tranſiuerit.

CInaram eſſe è carduorum genere, nemo neſcit herbarius. Ex quo altilis & hortenſis carduus etiam dici ſolet. Nam cultus mangonio, domita feritate in hortis manſueuit, ac in his habitare didicit: neſcio qua gulæ audacia, quæ terræ portenta in ganeam & luxum uertit, à quadrupedibus plerunque neglecta: uſqueadeò uentris & Veneris deſideriis obſonantur homines. Eſt itaque cinara, ſeu altilis carduus, planta nemini hodie non cognita: quæ compactilibus ſpicis ſquammatim coagmentatis conſtat. In quibus orbiculata, aut pyramidalis facies exterior uireſcit,

Cinaræ pulcherrima deſcriptio.

interior uerò niueo candore nitescit. Tota structili nucleorum serie, pineam nucem uidetur exprimere: unde & strobilus plerisque dicitur. Nulli sunt hodie horti, qui hac planta longè & latè non pubescant ac syluescant: adeò ut opipara nulla sit mensa absque echinato hoc cibo, nisi anni tempus illum neget. Vulgus Gallorum alticocalum nuncupat: ab articulo Arabum al, & cocalos: qui Hippocrati, Galeno teste, nucleus est pineæ nucis: cuius ferè imaginem refert cinara, ut paulò antè diximus. Terrã stercoratã & solutã diligit: quanuis in pingui meliùs possit prouenire, ut tradit Palladius. Qui etiam præcipit semina cinaræ crescente Luna in paratis areis, spatio semipedis discreta, non altè imprimi: sed tribus digitis comprehẽsa, donec ad primos articulos terra procedat, demergi ac leuiter obrui, rigaríque frequenter, si æstus interueniat. Nam ita teneriorem fructum ac pleniorem educabunt: ut Varroni Græco uisum est. Cùm uerò plantæ adoleuerint, herbis assiduè liberari ac expurgari debebunt: multóq; cinere, si Columellam audire uolumus, stercorari. Nam id genus stercoris, huic oleri

Vnde cinara nobis alticocalus dicatur

Terra cinaræ apta, & quomodo seri debeat.

Cinaram cinere gaudere, à quo nomen habere fertur.

aptiſsimum eſſe tradit: à quo cinaram di-
ctam fuiſſe, multis placet. Cauendũ autem
erit, ne ſemina inuerſa pangãtur: ſic enim
debiles, incuruas ac pumilas creabunt ci-
naras, ut Palladius aſſerit. Qui ex Afro-
rum & Græcorũ placitis etiam tradit nul-
lis ſpinis illas horreſcere, quæ ſeminum ca
cumina ante ſationẽ fracta, uel lapidis at-
tritu retuſa habuerint. Quod etiam multi
affirmant contingere, ſi in lactucæ radicẽ
excorticatam & delibratam, tenuéſque in
particulas conciſam, ſingula ſemina, ſin-
gulis indita particulis obruantur, & quo
dictum eſt modo, plantentur. Suaues &
odoratas habebis, ſi ſemina in odorato li-
quore aliquo, aut ſucco triduum præmace-
raueris, & ſiccata terræ commiſeris: nam
ſaporem eum referẽt, cuius humorem cõ-
biberint. Vnde laurum redolebunt, ſi illa
cum lauri foliis maceraueris, aut in lau-
ream baccã intruſeris, & ita plãtaueris. Si-
mile erit experimentũ in reliquis. Dulces
proueniẽt, ſi ſemina ĩ lacte, melle, aut aqua
ſaccharata, uel uino aromatite maduerint,
& ſiccata tellurem intrauerint. Nonnulli
hyeme ineunte folia humo obruũt, ut can-
dorem aſciſcant, & amaritudinem exuãt,

Quomodo fiat cinara nullis horreſcens ſpinis.

Quomodo fiant odoratæ cinaræ.

Quomodo fiant cinaræ dulces.

ſintque inter hybernos cibos gratiores: noſtrates (niſi fallor) cardas ſolent appellare. Cæterùm, hoc loco tacendum non exiſtimo, quòd ſingulis annis ſtolones à codice ſunt euellendi: ne matres fatigentur, & ſoboles per alia ſpacia diſtribuantur. Tanta enim eſt huius plantæ fœcunditas, ut propagines colibus auulſas & humi depactas, comprehendere narrent: ſæpéq; anno eodem & colem & echinum producere. Græcæ agriculturæ magiſtri, mucrone falcis diducta terra, cum aliqua parte radicis illos eruunt, ac ſolo bene ſubacto, & uetere fimo ſaturato committunt: iugitérq;, ubi æſtus fuerit, irrigant: donec plantaria ſolida ſibi iecerint fundamenta. Ex horum ſylua quotquot ad ſemina ſeruare uoluerimus, pullis omnibus liberabimus, ut loquitur Palladius, ac teſta, aut cortice ſuper tegemus. Nã ſemina uel Sole uel imbribus uitiari ſolent, ſuóque effœta ingenio perire. Quæ ſi uel exucta Solibus, uel imbriũ aſpergine rancida ſolo credantur, ſuo cardueta decoquent olitori. Qui hîc mihi monendus eſt, cinaræ radices à muribus ſummè expeti: quarum uoluptate ſemel illecti, turmatim, uel è longinquo accur-

Summa & indicibilis cinarę fœcunditas.

Quomodo ſeruanda & parãda cinarę ſemina.

Radices cinarę à muribus

ualde expeti: & quomodo ab illis arceã tur.

runt: ſicuti in ſuis agriculturæ ſelectis præceptionibus adnotauit Varro Græcus: ſed non abſque auxilio & remedio. Tradit enim inſultantem illorum aciem, lana radicibus obuoluta arceri, aut ſtercore ſuillo, uel cinere ficulneo eiſdem appoſito. Sunt etiam talpæ illis mirum in modum infenſæ ac inimicæ: adeò ut crebrò illarum defoſſu & cuniculatione, carducta ac cinareta, perſæpe ruinam irreparabilem ſenſerint. Prodeſt eam in rem mediis carduetis catos frequẽtes habere ac educare: aut muſtelas ibidem manſuefacere. Sunt qui in ſolido & ſicco ſolo cinaras pangãt, ne terra ab hiſce infeſtis animalibus facilè perforetur. Auxilia qui uolet alia, ſeſe cõferat ad ea quæ primo libro ſcripſimus.

Talpæ carduetis infenſæ, quomodo expugnẽtur.

Medica.

Quomodo ſumenda in cibo cinara.

CInara cruda manducata, oris odorem commendat. Cuius nuclei ſpicatim, ſquammatímque hærentes iuribus, aſparagorum modo, incoqui ſolent: & ex butyro, ſale atque aceto exhiberi. Sunt qui aſperſo ſale, & piperis, coriandrí ue polline, illis utantur, non dicã coctis, ſed etiam crudis: quibus natiua ſuauitas ſic pulchrè

repręſentari ſolet. Vrinas ciere traduntur, & Venerem in uino præmacerati ſtimulare, Heſiodo teſte: qui, ut adnotat Ruellius, florente cinara cicadas acerrimi cantus eſſe, & mulieres libidinis auidiſsimas, uiróſque ad coitũ pigerrimos, ſcripſit. Radix emedullata, & in uino decocta, ſi bibatur, alarum tædia, hircũ, & graueolentiam emendat: quam Xenocrates promittit experimento per urinas ſic effluere, comite fœtore. Eadem in aqua excocta, ſtomachũ fertur roborare, & uuluis etiam aliquid cõferre, ut mares gignantur: ſicuti Cherias Athenienſis, & Glaucias aſſeruerunt. Sed hoc loco tibi coniectandum relinquo, an una, eadémque ſit noſtra & antiquorum cinara. Vt ut fuerit, praui ſucci eduliũ eſſe ſcribit Galenus, & maximè cùm pluſculũ obduruerit, feſtinando ad florem. Tunc enim bilioſum ſuccum in ſe copioſum habet, ex quo ſatiùs fuerit elixam mandere, quàm crudam.

Vrinarum & Veneris ſtimulatio.

Alarum graueolentia.

Stomachus, uulua, & mariũ procreatio.

Cinara ad florem feſtinans praui eſſe ſucci.

Roſarum cura, auxilia, & ſecreta. Cap. XVI.

DE odoratis floribus nunc demum agendum: & quoniam roſæ floris ac

odoris raro priuilegio nobilitãtur, & aspectu perquam iucundo ac uario hortorum ornamenta censentur, idcirco de illis inter flores primo loco dicẽdum mihi proposui. Harum multa habentur genera, in quibus frequentissimæ nobis sunt, albicantes, puniceæ, & quæ ex albo rufescunt, uulgò incarnatæ nuncupatæ. Præstantissimæ sunt, quæ puniceo colore rubent: proxima laus iis quæ in rufum candicant. Vilissimę omnium iudicantur albicantes. In quarum tamẽ genere odoratissimas excipimus, quę moschatæ & Damascenæ dici solent: diuitum hortis hodie familiares. Seri nolunt cuiuscunque sint generis pinguibus aut argillosis locis, nec item riguis, contentæ raris: propriéque ruderatum amant agrum, ut scribit Plinius, uolúntque uirgulto pangi, scrobibus breuissimis, aut sulco, ut tradit Pallad. Quanquam semine etiam prouenire possunt, sed tardissimè. Quod unũ nequaquam esse putabis medium in rosa flosculũ coloris aurei, sed quòd baccæ nutriunt in breuissimi pyri similitudinẽ tornatæ: quas per æstatem seminibus turgentes, quis non uidet? quis, nisi fortassè alter fuerit Tyresias, non obseruat, coralli mo-

Rosæ hortorũ ornamenta.

Locus & ager rosis cõmodus.

Quid semen in rosa.

do per autumnũ horrẽtia ſpinis roſaria uariè illuſtrare? Fodi debent altiùs roſeta quã fruges, & leuiùs quàm uites: idq́ue annis omnibus non omiſſa interputatione: quæ Martio menſe aggredienda eſt, pro cœli & ſoli conditione: hoc enim modo excultum roſetum, longo perennabit tẽpore. Quod ſi antiquatũ fuerit, eadem etiam anni tempeſtate circunfodietur, aridáque ſuperfluitas omnis præcidetur: & quę rara erũt, ducta uirgarum propagine reparabuntur, ex Palladij cõſilio. Plinius uſtione ac recißione, roſaria quæque ſummè proficere ſcribit, adhæc tranſlatione, ocyſsiméque prouenire ſurculis quaternûm digitorum longitudine & ampliore. Sunt qui integras plantas cum ſuis radicibus transferãt. Alij palmares taleolas cum iiſdem radicibus, ſobolis modo, cubitali interuallo deponũt, & crebris irrigationibus ac ſtercore iuuãt: necnon ad maiorem odoris fragrantiam, intertextas roſis coronas iis ſimul adobruunt. Quòd ſi plantarum indigus fueris, & uolueris à paucis uirgulis copioſa gigni roſaria, ex Plinij & Palladij ſentẽtia, gemmanteis ſurculos quaternûm, ut diximus, digitorum pauló ue longiores cum

Quomodo tractari debeãt roſaria.

Roſaria optimè prouenire uſtione, reciſione & tranſlatione.

Quomodo ex paucis uirgultis copioſa fiant roſaria.

ſuis ſarmẽtulis excidere debebis, & in modum propaginis ſternere, ac ſtercoratu rigationibúſque tueri. Vbi annũ attigerint, pedis ſpatio inter ſe diſiunctos transferes, & luxuriantem materiam omnem excludes, ac crebris defoſsionibus exhilarabis. Vita roſæ non reciſæ, nec aduſtæ, ad quinquennium durat, alioquin iuueneſcit: ad cuius fragrantiã & iucunditatem, cœlum plurimùm conferre creditur. Vnde ſerenis diebus collecta, odoratior eſſe ſolet: adhæc quæ naſcitur in ſiccis, ruderatis & gracilibus locis. Si odoratiſsimam facere uoles, ex Græci Didymi conſilio, hinc-inde allia conſeres: nã quæ ex frigiditate langueſcũt, calore exacui ſolent. Si pręcocem, duobus palmis in gyrum effodies, & calida aqua manè ac ueſperi irrigabis. Sed id non antè aggrediendum multi arbitrantur, quàm germinare calix inceperit: quem eo artificio nonnulli euocare ſolent. Si menſibus omnibus roſam tibi comparaturus es, autore eodem Didymo, menſibus omnibus plãtare, ſtercorare, & rigare debes. Verùm id locum habere non poteſt in borealibus noſtris regionibus: ſecus in calidis & temperatis. Præcoces roſas aliter tibi parabis, ſi

Roſæ uita quinquennium.

Quomodo odorata & præcox fiat roſa.

Quomodo menſibus omnibus roſa comparetur.

Roſa pręcox.

cophinis aut fictilibus plantaueris, & eadē cura tractaueris, quà præcoces cucurbitas ac cucumeres, ut ſuo diximus loco. Cæterùm, nondum patefactas ſeruabis, ut ſcribit Pallad. ſi in fiſſam uiridem cannam calices immiſeris, eámque leniter papyro, aut cortice circum ligaueris: & eo tempore excideris quo uirides roſas habere uolueris. Alij rudi olla conditas, & bene munitas ſub dio obruunt, & ſic cuſtodiunt. Vita & uigor iiſdem permanebit, ſi amurca ita immergantur, ut humor extet. Quidam ex Didymi præſcripto, hordeũ, dum adhuc in herba eſt, cũ ſuis radicibus euulſum, in fictile non picatũ demittunt: ibiq; roſas priuſquam dehiſcant, diligenter operiunt: uiridéſque quandiu uolunt, ac ſi eſſent in roſario parente, cuſtodiunt. Plerique uirentem hordei ſegetem pauimēto ſternunt, & roſas in ea condunt. Florentinus inter Græcos geoponicos ubique admirabilis, tradit roſam in mali corticem poſſe inoculari, & malorum tempore ſeſe proferre. Quæ res in aliis arboribus ſuum etiam locũ fortaſſe agnoſcet: perinde atque in ueterano braſsicæ caule & ilice, in quē ſi roſa inſeratur, uiridis euadet, ſed inodora,

Quomodo uirides ſeruentur roſæ ac recentes.

Modi uarij ſeruādarum roſarum.

Quomodo fiat roſa ſerotina, aut uiridis.

ut ſcripſit Albertus. Quæ res facilem uiam prębet experiēti: cū his quę de punicea roſa circunferuntur: nimirum quòd candida fiet, ſi ſulphuris fumo imbuatur, dum in folia dehiſcēs cœperit euolui. Sed de roſis hæc ſatis: quarum frutex rectè & appoſitè Cupidini dicatur: quem tota facie uidetur repræſentare, quemadmodū ſcripſit Philoſtratus. Nam roſa ſemper recēs ac iuuenis apparet in ſuo roſario, necnon blanda, ut Cupido: aureis prætereà comatur capillis, ut ille: ſpinas pro iaculis geſtās, pro facibus fulgorem, & pro alis folia. Addo, quòd ſicuti roſam abſque uulnere pauciſſimi aſſequuntur, ita Cupidine abſque corporis, uel animi, aut fortunarum vulnere & iactura, paucisſimi potiuntur: nimirum quos æquus amauit Iupiter. Sed hæc extra hortenſem philoſophiam: ad quam potiùs refero quòd flores tam roſacei quàm alij, in Sole aut clibano ſiccati, colorē, odorem ac uires magis retinent, quàm in umbra: modò metam morę nō excedant. Idem de foliis & radicibus odoratis exiſtimare licebit.

Quomodo ex punicea roſa fiat cādida.

Roſæ ad Cupidinē collatio perpulchra.

Quomodo optimè ſeruētur flores.

Me-

Medica.

ZOroaſtres in ſuis de agricultura Grę cis placitis ſcribit, oculos eius dolorẽ non ſentire anno toto, qui roſarum calices antè quàm in florem explicẽtur, leni tactu luſtret: tribúſque earum alabaſtrulis uiſum detergat, roſis in parente relictis. Quod multi uerum eſſe contendunt in eo qui primus calices in frutice occultatos uiderit. Vt ut fuerit, ros ille qui roſis hærere inuenitur, pinnula munda lectus, & ſpecillo genarum palpebris inſtillatus, oculorum lippitudini medetur. Cremor è roſis aridis in uino decoctis expreſſus, ad capitis, oculorum, gingiuarum & aurium dolores ſummè probatur. Prodeſt etiam uitiis ſedis, ac recti inteſtini, penna illitus, aut infuſus. Aquam roſarum ui ignis pluribus ac diuerſis inſtrumentis extractam, hîc conticeo. Quâ multò præſtantior ac odore fragrantior ſolet eſſe, quæ uaſis in aquam feruentem ſuſpẽſis, aut priſcorum more per balneum calentis aquæ, uitreis organis elicitur: cuiuſmodi & aliæ ſunt, quæ eodem modo ad uniuerſum medicinæ uſum confici ſolent. Quandoquidem inter has & illas quæ plumbeis, ter-

Pro oculorũ dolore notãda & obſeruanda.

Lippitudo, capitis, oculorum, gingiuarum, auriũ & ſedis dolor.

Quomodo extrahenda è roſis aqua.

reis, aut æreis instrumentis, lignorum uel carbonum igne extrahuntur, tanta deprehenditur differentia, quanta inter plumbum & aurum esse solet. Quod hîc per occasionem admonitum uolui, plura alibi scripturus. Pro loci huius coronide hoc Alberti secretum accipies. Semina rosæ cũ grano sinapis & pede mustelæ circa retia posita, aut his appẽsa, pisces ad se pelliciũt. Eadem arboribus suspensa, steriles illas reddunt. Experimento admodum facili ueritatem elicies.

Secretũ pro piscibus.

Lilij cura, auxilia, & secreta Cap. XVII.

Lilium rosis nobilitate proximum esse scripsit Plinius, medióque earũ prouentu incipere: cui florũ excelsitas de omnibus maior inest, interdũ cubitorum trium: sed languida semper ceruice, & nõ sufficiente capitis oneri. Flos eius emaculato candore, & eximio odore, calathi effigiẽ præsefert: foliis ab angustia in latitudinem paulatim sese laxantibus, extrinsecus striatis, resupinis per ambitũ labris, & emicãtibus ex fundo calathi luteis staminibus, tenui filo crocatis. Fœcunditas mira & penè inexplicabilis est in illo: nam una ra-

Liliũ flores omnes excelsitate superat.

Mira lilij fœcunditas.

dix bulbos sæpenumero quinquaginta emittit. Quos Palladius circa ueris initia ponẽdos, & cùm opportunũ & tempestiuum fuerit, exactè sarriendos præcipit: idq́ue summa diligentia, ne oculos circa radicem nascentes, minoréſque bulbos sauciemus. Qui à matre subducti, atq; in alios ordines digesti, noua lilieta formare solent. Purpurea lilia monstrificis, ut Plinius loquitur, hominum ingeniis, sic fiunt. Iulio mense scapi arescentes colliguntur, & in fumo lilia suspenduntur: dein nudantibus se nodulis in fęce nigri uini, uel Græci, mense Martio macerantur ut colorem imbibant: atque ita in scrobiculis seruntur, heminis fęcis circũfusis. Quod inuentũ nõ Plinio, sed Anatolio Græcorũ geoponico eximio ascribendũ censeo. Cuius uerba è Gręco in Latinũ cõuersa hunc habẽt sensum. Si lilia facere uelis purpurea, dũ florẽt cauliculos eorum decem, aut duodecim, cum scapis in fasces uel scopas colligato, & in fumo suspendito, ut radiculas bulborum similitudine inibi iaciant & remittant. Cúmque plantandi tempus appetiuerit, in fęce nigri uini macerato, donec colorem purpureum contraxerint, & eo intinctu affatim satura-

Quomodo fiant purpurea lilia.

Multa sibi Plinius ascribit, quæ sunt antiquorum.

ti fuerint. Mox ſcrobiculis fæce largiùs effuſa depone, & purpureos liliorum flores habebis. Eoſdem rubros fieri affirmat Florentinus Græcus, ſi inter cortices aut micas cinnabaris infundantur: hac tamen obſeruatione ut bulbi nullo modo uulnerentur. Qui ſi alium quemuis colorem ebiberint, par erit eum lilia referre. Mirúmque eſt ita tingi aliquid, ut naſcatur infectum. Priſcis Græcorum & Latinorum obſeruationibus ſuffragatur Hieronymus Cardanus, tradens nodos plantæ lilij ſub camino ſuſpēſos abſque foliis, & inde ſiccatos, ſi fæce rubentis uini obruantur, & in fimo cum eadem fæce ſepeliantur, flores edere purpureos. Eſt ſanè lilio tanta uiuacitas, ut ſurculi eius ſuſpenſi radicem mittant. Cæterùm uiridia ac recentia toto anno durabunt lilia, ſi cùm patentia nondum dehiſcunt & clauſa ſilent, fictilibus nouis non picatis decerpta imponantur, ac operculo diligenter muniantur. Dum uerò in uſum depromere uoles, ad Solem proferes, cuius calorificum ac uitalem teporem ſimulatque ſenſerint, ſtatim expandentur ac dilatabuntur: quod ſecretum Anatolius poſteritatis memoriæ

Quomodo fiant rubra lilia.

Quomodo fiāt liliorum flores purpurei.

Quomodo uiridia & recentia ſeruētur lilia anno toto.

Quomodo lilia uiciſsim

ſcriptũ uoluit. Nec omiſit, quòd uiciſsim & uariis temporibus flores parient lilia, ſi bulbos eorum ita ſeueris, ut ex iis aliquot duodecim digitorum altitudine obruantur: alij octo tantũ, alij quatuor duntaxat. Nam ita diuerſis diebus ac tẽporibus ſuos dabũt flores. Quod etiam in aliis fieri pollicetur.

& diuerſis tẽporibus flores producẽt

Medica.

Liliorum radices cõtra ſerpentiũ ictus ex uino potæ plurimùm ualent: & ex mulſo propinatæ, inutilẽ ſanguinem cum aluo trahunt. Lichenas & furfures in facie emendant, ac corpora erugant. Cum adipe & oleo decoctæ, aduſtis pilos reddũt. Folia in aceto cocta vulneribus efficaciter imponũtur: & ſuccus ab iiſdem expreſſus, ad molliendas vuluas utilis eſt, mouendóſque ſudores, & excoquendas ſuppurationes. Proſunt etiam ſerpentium morſibus impoſita folia, & aduſtis feruefacta. Radices toſtæ cum roſaceo ambuſta ſanant, & ulcera cicatricibus claudũt. Admotæ cum melle neruis præciſis, & luxatis partib⁹ auxiliantur ac uitiligines emaculãt. Teſtium inflammationes cum hyoſcyami foliis, & tritici farina leniunt ac mulcent. Fit è flo-

Serpentium ictus, inutilis ſãguis, lichenes & furfures.

Vſtiones, vulnera, vuluæ, ſudores & ſuppurationes.

Ambuſta, nerui, uitiligines, teſtiũ inflammationes.

ribus aqua ad facies mulierum erugandas & niueo candore illustrandas summè expetita. Cui si radix plantę cuiusdam mihi cognitæ, una nocte infundatur, uernaculum genarum pallorem, genitiuásque vultus maculas pulcherrimè occultabit: ac nitore plus quàm roseo, elegantíque purpurisso faciem commendabit. Cuius rei experimentum multis fœliciter innotuit.

Pro facie mulierum emaculãda, & roseo nitore illustranda.

Violarum cura, auxilia, & secreta. Cap. XVIII.

Violis honor fuit summus apud antiquos post rosam & lilium. Quarum genus omne hodie in hortis ac fenestris frequentissimum ubique uisitur, in figulinis aut ligneis uasis, à mulierculis studiosè excultum. Flores cùm uarietate coloris, tum suauitate odoris, tantam cum oculis & naribus ineunt gratiam, ut in coronamenta, cum cæteris, omnium maximè ueniant. Itaque uiolas hîc paucis perstringemus: quas qui facturus erit, ex Columellæ consilio terram stercoratam & repastinatam, minimùm altè pedem, in puluinos redigat, atque ita plantas hornotinas factis scrobiculis pedalibus, circa uer in il-

Violis maximam inesse gratiã in colore & odore.

Violarũ cultura & satio.

lis disponat. Semen, duobus temporibus in areis seri potest, uere & autumno: sed postremum nobis ineptum habetur, qui cœlum tenemus frigidum. Colitur uiola eo modo quo cætera olera: rũcatur, sarritur, & dum tempus inuitat rigatur. Quæ nigra est, uersicolor spectatur. Quod sic in Rustico pulchrè expressit Politianus:

Non omnis fert omnia tellus.

> Nigráque non uno uiola est contenta colore:
> Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum.

Nigra uiola multicolor.

Omnes cubitali altitudine prosiliunt, floribus quadrifoliis, ut est apud Pliniũ: nec unius coloris sed multorum: nam alij purpurei sunt, alij niuei, & alij lutei. Albæ uita trimatu peragitur: ab eo senectam sentiens plerunque degenerat. Gallis genera omnia innotescunt, partim uioletæ nomine, partim garyophylli odore. In quorũ censu non modò prædictæ continẽtur violæ, albæ, inquam, cœruleę, pallidæ, uariegatæ & luteæ, sed etiam purpureæ, quas Martias nuncupamus, uer plerunque nobis aperientes, odoris suauissimi, & coloris sanè q̃ iucundi. Si omnes omnium colores unam plãtulam referre cupis, singularum semina cõfusa, in tenuem cãnulam, aut detritum linteolum include, & ter-

Viola martia.

Quomodo una uiolarũ plãta, omniũ colores referat.

ræ optimè ſubactæ ac ſtercoratæ, ut fieri ſolet, depone. Experimentũ mihi ſæpenumero probatum, ſumma cum uoluptate, & pari admiratione miraberis. Sed hîc tacendum non eſt, quòd ſpectatiſsimus uiolarum flos, niſi quotannis ſitum loci mutare condiſcat, in humilem ac degenerem floſculum, minúſque odoratum deficere ſolet.

Medica.

Purpureã uiolã omnibus ſuis partibus refrigerare.

TArentinus in ruſtica Græcorũ agricultura & itẽ medicina exercitatiſſimus, ſcribit folium purpureæ uiolæ refrigerare, & ob id inflammationibus accommodum eſſe: perinde atque oleum ex ipſa uiola compoſitum: quòd etiam febricitantibus ſuo refrigerio ſummè auxiliatur. Crapulam & capitis grauedinẽ efficaciter diſcutiunt, occipitio impoſitæ uiolarum coronæ. Valétque illarũ aqua mitigandis anginis. Luteæ & aliarũ omnium à purpurea frutex, tenuium eſt partium, & maximè flos: qui ſiccior, q̃ uiridior, & antiquior, q̃ recentior magis calet. Ex quo decoctum illius menſes efficaciter mouet, ac ſecundas, fœtúmq; mortuũ elicit. Reliqua ex medicorum libris petenda ſunt.

Grauedo & angina.

Mẽſtrua, ſecundæ, & fœtus mortuus.

Ocimi & Amaranti cura, auxilia, & ſecreta. Cap. XIX.

HOrtorum plantas odoratas & coronarias, tam edules quàm non edules cum fruticibus nunc demum aggredior, gradum mihi faciens primùm ab hortenſi ocimo (nam aliud eſt pabulare ocymum & ſegetarium) quod uſque adeò notum eſt, ut perraræ ubique ſint ędium feneſtræ quæ illo longè latéque non redoleant. Hujus tria uiſuntur genera: unum foliis amaranto maioribus: alterum, foliis & ramulis multò minoribus: tertium minutis & anguſtis: quod ab odoris fragrantia & ſuauitate Italis baſilico gentile nuncupari vulgò ſolet: & à Serapione garyophyllatū ab inſigni odore. Vnde etiam ozimum rectè dici ac ſcribi poſſe contendunt multi, ut ſit ab ózo quod eſt redoleo. Recentiores Græci qui de re herbaria ſcripſerunt, Pſellum ſequuti, baſilicum id eſt regium appellāt, quod nomen apud nos paſsim uſurpatur. Sic fortaſſe dictum quòd in ſolis regum hortis aleretur olim: uel quòd regibus ob odoris præſtantiam dignum eſſet. Teporem hæc planta deſiderat: cuius ſemen ubi obrutum erit, pauicula uel cylin-

Ocimum duplex.

Ocimi hortenſis genera tria.

Ocimū unde dicatur garyophyllatū, ozimum & baſilicum.

Quomodo ſerendum & tractandum ocimum.

dro, aut aliter, ſedulò inculcari debet. Nã ſi ei terram ſuſpenſam relinquis, ad corruptionem inuitas, ut ſcripſit Columella. Satorum omnium celerrimè prouenit: putántque maturiùs erumpere ſi inter initia feruenti aqua fuerit conſperſum. Quidam aceto perfundi iubent, ſi hyeme inclinante ſeratur: nam illius imbre rigatum, citiùs naſci creditur. Plinius ei tantùm aquã meridianam dandam præcipit: cùm cęteris oleribus horæ rigandi ſint matutina atq; ueſpera, ut libro primo admonuimus. Vbi ad palmi altitudinem uenerit, rectè præciditur: licet ferro cum ruta, menta & cunila, tangi diligenter uetuerit Sabinus Tyro libro Cepuricon ſeu hortenſium quem Mecœnati dicauit. Sub canis exortũ ac ſi morbum ſentiret, aut aſtrobolian expalleſcere deprehenditur. De quo rem miram narrat apud Palladium Gargilius Martialis (qui à Seruio in Georgicis Virgilianis, de re hortenſi librum ſcripſiſſe traditur) nimirum quòd modò purpureos flores, modò albos, modò roſeos parit. Sed maiore admiratione dignum arbitror quod ſcribit Plutarchus, ſuccinum ſolos ocimi ſurculos à ſe abigere, cùm leuiſsima quæque, & quiſ-

Ocimũ aqua feruenti & aceto gaudere

Ocimũ ferro tãgi recuſat.

Ocimi ſurculos ſuccinũ abigere, reliquos trahere

quilias omneis, attritu excalfactum, repentè moueat, & ad se pelliciat. Est & prodigio non minore dignum quod Theophrastus prodidit, ocimum lętiùs prouenire, si cum maledictis ac probris seratur. Quod etiam Plinius affirmat, & fortasse Persius hoc senariolo testatum uoluit:

Res mira & notanda.

Cùm benè discincto cantauerit ocima uernæ.

Refert ille idem Plinius Chrysippum medicum grauiter ocimum increpuisse, & ob id hominibus fugiendum præcepisse, quòd capræ illud aspernentur. Quæ cùm cæteris pabulis omnibus auidissimè uescantur, ab hoc uno etiam famelicæ diligenter abstinēt. Quod & à Sotione geoponico Græco adnotatum fuisse inuenio. Qui etiam ultra hæc asserit, insanos fieri qui ocimo utuntur: addítque eum qui manducauerit, si eo die à scorpione feriatur, seruari non posse. In quem & Chrysippum pugnare uidetur Plinius, scribēs capras libenter ocimū esse, nec cuiquam mentem motam qui illud manducauerit: quin & terrestrium scorpionū ictibus ex uino & pauco aceto sumptum salubriter mederi. Dioscorides ex Afrorum & Græcorum placitis aliud uidetur proferre: nimirum eos qui ocimum e-

Capras ocimum etiam in fame aspernari.

Sotionis & Chrysippi sententia à Plinio impugnata.

Ocimũ ſcorpionibus aduerſari.

derint ſi à ſcorpione feriantur, nullo conflictari dolore. Has controuerſias nonnulli componere ſatagentes, omnia ad tertium ocimi genus referenda cenſent: & ad incõpoſitum, profuſúmq; illius uſum & eſum. Vt ut fuerit, experiũdo ueritas eluceſcet, alioquin obſcura. Quam tamen arbitror te in dubio malle relinquere, quàm periculum temerè ſubire. Autor eſt ille idem Sotion commanſum ocimũ & in Sole poſitũ, ſcorpiones gignere: uel, ut legunt Dioſcorides & Plini⁹, uermiculos aut uermes, qui fortaſſe in ſcorpiones tandem tranſeunt. Quod ſanè mirum eſt, cùm dixerimus illud ſcorpionibus aduerſari. Subdit idem Sotion fœminis ocimum tanta antipathia pugnare, ut ſi pultario aut patinę inſcia muliere integrum ocimum cum radice ſupponatur, futurum ut cibo nunquam manus admoueat priuſquam ſubductũ ſit: ex quo miſodulon uocari credit. Diodorus in Empiricis pediculos creare tradit, ſi quis eo largiùs utatur, ob excremẽtitiam humoris ſuperfluitatem quo imbuitur. Quinetiam uolunt nonnulli, ut ſcribit Plinius, ad huius manipulum cum decem cancris marinis uel fluuiatilibus tritum, ſcorpiones à pro-

Ocimũ quomodo ſcorpiones gignat.

Ocimũ fœminis aduerſari, & pediculos creare.

Ocimũ ſcorpiones congregare.

ximo omnes conuenire. Cæterùm, Galenus non censet eos audiendos qui promittunt ocimi trituram fictili nouo inditam & operculo uestitam, intra paucos dies scorpiones gignere: maximè si olla ad Solem quotidie incalescat. Sit pro capitis huius colophone quod apud Theophrastum legi, nimirum ocimum quandoque degenerare in serpillum, aut sisymbrium, ut vult Palladius: præsertim si loco satum fuerit Soli exposito, aut transplantatum. Quæ res etiam uetustate illi solet contingere. Hieronym. Cardanus scribit, ocimũ prima Luna tritum & in nouam ollam inditũ, sub plenilunio ab altero capite flores emittere: quod si duplicato tempore sub terra defodiatur, strifiones generabit: nescio an scorpiones scriptum oportuit.

Ocimi degeneratio.

Mira siquidẽ uera.

Amarantus pedali altitudine crescit, caule ferulaceo & subrubente, foliis ocimo longioribus, spica purpurea ueriùs quàm flore, prorsus inodora, sed qua nihil aspectu gratius ac iucundius dari posit. Nam Tyrias purpuras suo rutilanti & flammeo nitore uincit: adhæc coccum quoduis, siue saturatũ fuerit, siue dilutum. Ex quo Gallis Passeuelutum vulgò nuncupari solet,

Pulchra descriptio & pictura amarãti.

Amarãti mira uenuſtas.

quia cum holoſerico coccineo, quod Carmeſinũ dicunt, de coloris præſtantia certare uidetur. Itali Fioruelutto appellant. Spica purpurea Plinio uerius dicitur quàm flos, ſolo colore commendabilis, abſq; ullo, ut monuimus, odore. Gaudet decerpi, & quo frequentiùs legitur, hoc lætiùs renaſcitur: mirúmq; illud eſt, cùm defecere cũcti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas pulcherrimè nectit. Qua ratione in fictilibus ſeri ſolet à uirgunculis, nomine Amaranti donatus, ꝙ nõ marceſcat: ita Græcam nomenclaturam uſurpante Latio. Puellæ, furni tepore ſiccatum illum ad coronarios hyemis uſus recondere non cunctantur. Philoſtratus ex Amaranto ſepulturas coronari ſolitas affirmat: idque Theſſalos inſtituiſſe primos ad tumulum Achillis. Sed hæc de Amaranto ſatis: qui licet ad odoratas hortorum plantas non attineat, his nihilominus illum aſcribendum duxi, ob floris præſtantiam coronamentis ſanè quàm aptam & ubique receptam.

Vnde dictus amarãtus, & eius uſus.

Medica.

PArum ueteribus de ocimo conuenire uideo, utilé ne ſit an noxium cibis.

Chrysippus medicus antiquissimus cacostomachum esse dixit. Galenus & Paulus Aegineta ob humorem excrementitium internis partibus officientem cibis abdicarunt (quod de immodico usu intelliges) non tamen exteriùs damnarunt. Qui contrariam opinionem tuentur Dioscorides & Plinius hæc ceu commentitia rident, asserentes stomacho prodesse, quòd eius inflationes discutiat ex aceto sumptum. Sanè sicuti usum eius largum & liberalem nocere arbitror, ita sobrium & temperatum iuuare credo. Nam si quis eo perinde atque cæteris oleribus affatim & prodiga manu utatur, tandem intestina sentiet incommoda. Si uerò parciùs, ac si medicamentum esset, interna percipiet commoda. Ventrē remollit, flatus excutit, lotium mouet, ac lactis prouentum mulieribus adfert. Tritū & naribus inditum sternutamenta ciet: quibus instantibus conniuere oportet. Odoratu tristes exhilarat, ac timidos animat. Verrucas mixto atramento sutorio tollit. Venerem stimulat: ex quo tam equis quàm asinis admissuræ tempore utiliter ingeritur. Vsu quoque compertum est ex aceto salutare esse deficientibus: adhæc, caput do-

Ocimum cacostomachū: de quo uariæ sententiæ.

Inflatio stomachi.

Vēter, flatus, lotiū, lac & sternutamētum.

Verrucæ, Venus & capitis dolor.

lentibus cum rosaceo aut eodem aceto, ma ximè à causa frigida. Quibus Dioscorides addit cum polline polentæ, aceto, & rosaceo illitum, pulmonum inflammationibus auxilio esse, eiúsque succum destillationes exsiccare: & semen potum difficili urinæ auxiliari, ac atram bilem gignentibus, opem adferre summam.

Pulmonũ inflãmatio, destillatio, dysuria & atra bilis.

Amaranto, ex recentiorum medicorũ iudicio, facultas inest frigida & sicca: proinde flos eius potus dysentericos & cœliacos iuuare traditur: adhęc mensium abundantiam cohibere, & albas uteri fluxiones. Quinetiam cruenta expuentibus prodest: præsertim si in pulmone uel pectore uas aliquod fractum fuerit, ut scribit And. Matthiolus. Non desunt qui tradant stomacho aduersari, licet cum uino fluxiones sistat.

Dysenteria, menses, cruẽtum sputum, & alia.

Saluiæ, Libanotidis seu Rorismarini, adhæc Satureiæ, Hyssopi & Fœniculi cura, auxilia, & secreta.

Cap. XX.

TAm nota est hortensis saluia, ut nulli prorsus hodie reperiãtur horti in quibus illa pasim non spectetur. Frutex est oblongus, surculosus, quadrãgulas habens &

Saluiæ hortensis descriptio pulcherrima.

bens & candidas uirgas, folia longiuſcula, ſcabra, hirſuta, albicantia, & uehementer odorata, ſed utcunque uiroſa: purpureo in ſpica flore, qui aquilini roſtri falcatã ſpeciem præ ſe fert Ea quæ folio eſt leuiore, contractiore & minùs ſqualẽte, nobis Frãca ſaluia, & ſaluia minor nũcupatur. Quæ uerò ſolidiore conſtat & ſcabriore, adhæc latiore ac ſi cultum ſenſerit, vulgaris ſaulgia dicitur, & ſaluia maior. Seritur in hortis ſemine & ſurculo: cuius fruticem olitores lixiuij cinere muniunt, teſtantes lętiorem ſic prouenire. Apricum amat locum, quanquam frigora non abhorret. Vnde hybernis temporibus & uiuere & iucundè uirere percipitur, etiã ſi minimè operta fuerit. Qua tempeſtate, olerum premente penuria, iuribus paſsim innatat.

Quomodo ſeratur & colatur ſaluia, frigorum patientiſsima.

Libanotis, quam officinæ & rura Rorẽmarinum appellant, & qua coronas ubiq; nectimus, folium fert tenue in exilibus uirgis, crebrum, oblongum, & gracile, pinnatum, herbaceũ infrà, canũ uerò ſuprà: hoc eſt intus candicans, & extrà uiride ac ſtriatum: flore cœruleo, cui odor ſuauis ineſt, reſinam aut thus utcunque ſpirans. Frutex eſt topiarius, & idem, ut diximus,

Roriſmarini hiſtoria & pictura.

Roriſmarini uſus.

coronarius: quo Narbonensis Prouinciæ tractus adeò scatet, ut ibi lignum aliud ferè non uratur. Apud nos areas hortorum topiario opere eleganter conuestit: ita ut nullum non animal suffragante olitoris mangonio confingat. Democritus in suis georgicis Græcis serendum præcepit uiui-radice & ramis auulsis: sic ut in terram depacti humentur. Planta hæc nullũ solum respuit, quæ tam iucundum ac gratum iaculatur odorem, ut quos animus defecerit, illico recreare posſit.

Quomodo serendus rosmarinus.

Satureia, Gallis sarrieta & thymbra dicta, in asperis gracilibúsque locis nascitur. Frutex est pedali altitudine, surculosis utrinque coliculis stipatus: odore, saporéq; gratisſimo: & flosculis per interualla ex purpura candicantibus, quibus ualdè oblectantur apes. Paulus duo genera fecit, syluestre ad eadem quæ thymus pollens, & satiuum quod uiribus ignauius est, sed usui cibario & gratius & aptius: quapropter in hortis frequens esse solet ad condienda obsonia: illud medicinis commodius, hoc cibis utilius. Non sum nescius Columellam sentire thymbram à satureia nonnihil discrepare, nostratémque cunilam cum satu-

Satureiæ descriptio.

Satureiæ genera duo.

Satureia & cunila Columellæ eadé.

teia confundere, uel pro ea potiùs usurpare. Quod uiderint eruditi: nam nostrum hîc non est istas componere lites.

Hyssopus planta est fruticosa, altitudine pedali, folio cunilæ, floribus purpureis thyrsos spicæ uestientibus. Quæ Gallis uel hoc nomine nota esse solet, quòd in usum condimentarium ueniat, & recentibus fabis dum elixantur, aut friguntur, iucundè remisceri soleat. Locum desiderat neque pinguem, neque stercoratum, sed apricũ. Seritur semine & plantulis, quę ubi prehẽderunt, uiuaciores esse solẽt, quàm ut hyemem ac niues reformident. Hyssopi historia & usus Gelu ac niues hyssopũ sustinere.

Fœniculum hodie omnibus hortis ualde innotescit: ferulacei generis est, in eam altitudinem plerunque assurgens, ut hominis proceritatem exuperet. Caule cõstat geniculato, fungosa intus medulla, & leui exterius cortice. Estque planta tota odorata, muscarium gerens in summo rotundum, amplum, luteum & in orbẽ radiatim circinatũ, in quo semen nudũ dependet absq; cuticula aut folliculis. Locũ amat apricum & modicè saxosum. Radix candida, odorata & esculenta esse solet. Plantam hanc serpentes nobilitauerunt: nam gustatu eius Fœniculi pictura elegãs. Quis loc⁹ fœniculo aptus, & cur à serpentibus sit nobilitatum.

ſenectam exuere traduntur, & oculorum aciē ſucco reficere, aperto ac inciſo caudice. Vnde intellectum eſt, ut ſcribit Plinius, hominum quoque caliginem præcipuè eo releuari. Noſtrates folia fœniculi uirentia panibus & placentis quandoque ſubſternunt in clibano, ad odoris & incruſtationis gratiam. Adhæc piſces iis infarciunt, præſertim marinos, ad conciliandam ſaporis ſuauitatem, & fallendam marinæ auræ graueolentiam, delicatulis palatis aſpernabilem ac moleſtam.

Fœniculi uſus non ſpernendus.

Medica.

QVi hæc protulit & ſcripſit,

Cur morietur homo cui ſaluia creſcet in horto?

nę ille eximias ſaluiæ dotes ac facultates ad unguem nouiſſe mihi uidentur. Salutaris enim ad multa eſſe ſolet, unde illi fortaſſe nomen. Ad fœcunditatem imprimis ſummè utilis cenſetur: ex quo Agrippa illam ſacram non temerè appellauit: tradidítque lęęnas eam quærere & manducare ad conceptus facilitatem. Nec omiſit quòd grauidæ mulieres, ſi fluidæ laxæque fuerint, illa utiliſsimè ueſci poſſunt: nam conceptum retinet, ac uitalem reddit. Quòd ſi ſucci huius heminam cum

Fœcunditas & conceptus.

Pulchra & notatu digna

modico ſale, quarto à ſecubitu die mulier potauerit, deinde uiro poſt horæ quadrantem ſeſe commiſcuerit, proculdubio concipiet. Hinc aiunt in Copto Aegypti poſt ſæuas peſtilentias ab his qui ſuperfuerunt, ad eius ſuccum bibēdum mulieres coactas fuiſſe, plurimóſque inde fœtus productos. Tradunt medici eam ſuffitam menſes immoderatè fluentes, & omne muliebre profluuium compeſcere. Bibitur utiliter cum abſynthio ad dyſenteriam: fertúrq; emortuos partus appoſita extrahere, & uermes aurium educere. Tutò propinari ſolet ad tuſsim & lateris dolores: prodéſtque contra ſerpentes ex oleo peruncta. Capillum denigrat, vulnerum ſanguinem cohibet, ac tetra ulcera purgat. Cum uino menſes remoratos trahit. Teſtium pruritus extingunt rami & folia, ſi decocto eius foueantur. Dato, inquit Orpheus, ſanguinem expuentibus, ſaluiæ cyathos duos ieiunis cum melle bibendos, ſanguis illico cohibebitur.

Muliebre profluuium, partus mortui, uermes auriū, tuſsis, & lateris dolor.

Mēſes, teſtiū pruritus, & ſanguinis ſputum.

Libanotis ſeu roſmarinus in aqua decoctus regium ſanat morbum: ſuffitu deſtillationes ac tuſsim ſedat. Et quod illi de multis nobile eſt ac inſigne, eius nidor in

Regius morbus, deſtillatio, tuſsis & peſtilentia.

pestilentia tutam reddit domum, aëris improbam perniciem suffitu diluens.

Vrinę, mẽses, ueternus, aures, coxẽdix, pulmo & uesica.

Satureia urinas ciet ac menses pellit. Herba ipsa cum floribus, olfactu aut coronæ modo capiti imposita, ueternosos excitat. Succus cũ rosaceo auribus instillatur; & cum triticea farina coxendicibus utiliter illinitur: medetúrque cum uino pulmonis, thoracis, ac uesicæ uitiis. Pulices cum aqua trita & respersa necat: purgat à partu optimè mulieres, ac marcescentes coitus stimulat: quare à Satyris salacibus nomen traxisse dicunt. Nec est omittendum quòd uentriculi coctiones adiuuat, & eius fastidia discutit. Nascitur supra satureiã quidpiam quod cirrorum modo comas eius & ramos crebro uolumine cõplicat, sæpenumero purpurascens. Vocatur à Paulo epithymbron, atram bilẽ perinde atq; epithymum exigens ac uacuans.

Pulices, partus, coitus, uentriculus & atra bilis.

Epithymbrõ.

Hyssopus cum uino cocta & gargarissata, anginæ medetur: bibitúrq; ad suspiria. Cum fico lieni prodest, & ad ulcera manantia est efficax. Quadrupedum scabiem curat ex oleo: & cum aqua melle, fico & ruta peripneumonicis adest: adhæc tussibus uetustis, orthopnoïcis, pleu-

Angina, suspirium, lien, ulcera, peripneumonia, orthopnœa, pleuritis & destillatio.

riticis & deſtillationibus obnoxiis : ut interim non omittam quòd etiam tineas in aluo necat. Decoctum eius cum aceto mulſo lentorem pituitæ, craſsitudinéſque diſſecat, & per inferna abigit. Cum fico & nitro ad lienem & aquam intercutem probè illinitur. His addendum quòd hyſſopo cum aqua feruenti ſugillata emendãtur: & aurium inflationes uaporis eius ſuffitu diſcutiuntur, dentiúmque cruciatus miteſcunt, ſi illius decoctione tepida cum aceto colluantur: maximè ſi à cauſa frigida fuerit dolor excrucians.

Liẽ, hydrops, ſugillata, aures, & dẽtes.

Fœniculi ſemen ex aqua tritum nauſeam ſedat in febribus: adhęc æſtus ſtomachi compeſcit, éſtque pulmonibus ac iocinori laudatiſsimum : uentrem ſiſtit cùm modicè ſumitur, & urinam excitat, ac tormina ſi toſtum fuerit mitigat. In lactis defectu potum mammas implet : idémque præſtat, ut vult Dioſcorides, ſi cum ptiſſana propinetur: imò uerò ſi herba ipſa exhibeatur. Decoctum comæ renum doloribus prodeſt, eo quòd urinam concitet: ualet ad idem radix cũ ptiſſana: quæ etiam hydropicis cum uino pota, necnon conuulſis mirè prodeſt. Folia utiliter illinuntur ex ace-

Nauſea, æſt⁹ ſtomachi, pulmo & iecur.

Renes, lotiũ, hydrops, conuulſio, tumores.

to tumoribus ardentibus. Sed de multis hîc tacendum non arbitror, quòd fœniculum quomodocunq; haustum genituræ abundantiam promouet: estq; pudendis amicissimum, siue ad fouendum radice cum uino cocta, siue ad illinendum, eadem cum oleo trita: plerique illa etiam utuntur cũ cera ad sugillata. Eadem cũ melle illita morsibus canum medetur. Fit succus è semine adhuc lactescente & musteo, unà cum foliis, ramis & cauliculis tenellis trito & simul expresso, qui in Sole siccatus utilis esse solet medicamentis quæ parãtur ad excitãdam oculorum aciem. Fit etiam è radicibus prima germinatione cõtusis. Alij caulẽ dum floret demetunt, & igni admouent, ut caloris ui exudantem uice gummi liquorẽ excipiãt. Is oculis multò efficacior, & præstantior esse traditur, q̃ succus præcedens.

Pudendũ, sugillata, morsus canis.

Medicamẽtum ad oculorũ aciem.

Notanda pro oculis.

Lauandulæ, Menthæ, Thymi ac Solsesequij, seu Calendulæ cura, auxilia, & secreta. Cap XXI.

LAuandula quæ & Pseudonardus dicitur, duorũ apud nos generũ cernitur. Vnũ altiùs adolescẽs, & maiorẽ odorẽ spirans: quod quia nõ minus placet q̃ nar-

Genera duo lauandulæ.

dus, idcirco apud nos ſpicę nomẽ ſibi arrogauit, ex quo aſpicũ vulgò nũcupatur. Alterum tum amplitudine, tum odore eſt minus, quod quia balneis & hominum lauacris expetitur, elotáque omnia, ſi permiſceatur, odoris ſuauitate commendat, lauanda & lauandula nominari ſolet. Illud mas, hoc fœmina multis eſſe creditur. Frutex eſt ubiq; naſcens, folio craſſo, carnoſo & anguſto, cui color languidus ad candidum uergens, frequentibus ſpicis in ariſtas ſparſim purpuraſcẽtibus, & alicubi albicantibus illuſtratur. Gaudet apricis & petroſis locis, tanta ſuauitatis fragrantia præſtans, ut omnes flores quibus remiſcetur, odoris iucunditate prouocet. Qua dote ueſtibus inſeritur, & ſcriniis commẽdatur. Vterq; frutex perpetua coma caneſcit: cuius ſpicata cacumina, & tonſiles uertices manipulatim in ſcopas & muſcaria cõcinnatos uẽdere ſolent ruſtici ad uarios odorum uſus, ubi Solem aliquandiu ſuſtinuerint. Hodie & bigis & clitellis aſinariis per æſtatem Lutetiæ uenales uicatim proclamantur, & paſsim exponuntur. Narbonenſis Prouincia utroque genere eſt fœlix, tam campis quàm mõtibus. Falluntur in-

Lauandula unde dicatur, & eius pictura.

Loca lauandulæ accommoda: ubi de eius odore.

Lauandulæ ſpicata muſcaria, & eorum uſus.

Lauãdula alia est à nardo Celtica.

signiter qui pro nardo Celtica usurpant lauandulam: nam longè alia est planta, ut alibi scribemus.

Menthæ pictura & descriptio.

Mentha nomen in Gallia retinet, & à plerisque Romana cognominatur, præsertim quæ est hortensis: cauliculos gerit lentè punicanteis & odoratos, flagellis lanugine pubescentibus, folio sisymbrij, sed longiore & molli, æstate herbaceo, hyeme subflauo, & ubiq; odorato: cui purpureus flos circa cauliculorum fastigia spicatur.

Méthæ satio & usus.

Iuxta fontes rectè ponitur, cuius si fortè semina defecerint, licet de noualibus syluestre mẽthastrum colligere: & inuersis cacuminibus deponere: nam ita feritatẽ exuet ac edomabitur. Planta hæc semel sata pluribus annis restibili fertilitate durat, grato mẽsis odore cùm in iusculis, tum acetariis & plerisque condimentis. Hanc ferro non

Menthæ locus aptus.

expedit tãgere, ut alibi docuimus. Apricũ locum amat: sed non ualde pinguem, nec stercoratum: seritúrque planta, uel radicibus, æstate uirens, hyeme uerò flauescens. Galenus duplicem fecit: unã hedyosmum ac si odoratam mentham dicas. Alteram

Mentha duplex.

inodoram, quam calamintham, alij mẽthastrũ appellãt. Hæc fera est & syluestris,

illa mitis & satiua : quæ cultus mangonio humorem sibi asciscit, ex quo Venerem stimulare traditur: quod est omnium commune quæ semicocto humore ac spirituoso & flatuoso participant. Quæ res problematicum hoc Aristotelis adagium soluet, cur mentha belli tempore nec edi, néc seri debeat. Hoc enim cibo largè uescentes in libidinem ruunt, quæ corpus & uires frangit, ac animos eneruat. De mēthastro, seu syluestri mentha, quam nonnulli syluestre pulegium uocant, hîc nihil scribam nisi quòd foliis eius manducatis & impositis, Plinius elephantiā sanari affirmat. Quod magni Pompeij ætate fortuito cuiusdam experimento facie illita, compertum fuisse scribit.

Cur mentha belli tēpore nec edi, nec seri debeat.

Mēthastri uires in elephātiam.

Thymus & si magis cōuenire uideatur curantibus aluearia quàm hortos, nihilominus de illo hîc scripturi sumus, quòd cōdimentorum & coronarum causa, etiam in hortis studiosè colatur. Duo sunt eius genera. Vnum candidum lignosa radice in collibus nascens, quod præstātissimum est. Alterū tam specie, quàm flore nigrum, quod Aëtius cibis dānauit : nam intus receptum facilè computrescit, & biliosos hu-

Thymi duo genera.

Hortẽſis thymi pictura.

mores creat. Qui triuialis eſt, ſurculoſus frutex & dodrantalis eſſe ſpectatur, odore ſuauiſsimo, multis foliis iiſque immortalibus comatus: floſculos gerens ex purpura candicantes, & capitella cõplicatarum formicarũ ſpecie. Vulgus Gallorum Thyn nuncupat: pleriq; maioranam Anglicam.

Locus thymo accõmodus: adhæc eius ſatio.

Gracili ſolo & petroſo lętius prouenit: unde neque pinguem, neque ſtercoratum, ſed apricum deſiderat locum. Seminę & planta proſilit, imò uerò & flore ſato naſcitur, ut perhibet Theophraſtus. Apiarij eo largè floreſcente prouentum mellis uberrimũ certo ſperant augurio. Nam flores apibus amiciſsimos creat, qui colorem & odorem melli addunt. Hinc Virgil.

Thymus apibus gratiſſimus.

-redoléntque thymo fragrantia mella.

Hîc non omittendum, ex eodem Theophraſto, quòd deſtruitur perítque flos thymi ſi imber inceſſerit.

Hortẽſe ſolſequium nõ eſſe heliotropium.

Solſequium officinis Calẽdula, & vulgo Solſia nuncupatum, falsò à multis heliotropium eſſe exiſtimatur, ſiue maius illud fuerit, ſiue minus. Non quòd Solem non ſequatur, ut mox dicemus, ſed quòd pictura ei planè repugnet. Noſtratibus itaque Solſia nominatur: quaſi ſolſequiã di-

cas. Fruticosa est planta, cauliculo dodrãtali, folio longiusculo, flore specioso, crocato & odoris non ingrati: ex quo in coronamenta passim uenire solet. Nascitur potissimùm in cultis: adhibetúrque & condimentis & acetariis. Semen haud dubiè scorpionem imitatur, maximè quâ continetur in uagina. Vnde scorpioïdem quidã esse putarunt, sed ineptè, cum notæ scorpioïdis illi non subscribant. Calendula apud herbarios dicitur, quòd singulis ferè mẽsium calendis florere, uel (ut aliis placet) fruticare deprehendatur. Rusticorum horologium quibusdam nuncupari solet: quòd matutinas & uespertinas horas de circumactu illis indicet. Alij Solis spõsam dixerunt, & solarem herbã, quòd eius flores Solẽ ab ortu per meridiem in occasum sequantur, & notabili conuersione comitentur: ita ut quacunque cœli parte sedem teneat ille, in eam conuersi spectẽt: eóque, etiam nubilo aëre dirigantur: ac si spiritu eius recrearẽtur, uigerẽt & agerentur: tãtus syderis amor est: noctu eius desiderio, quasi mœrentes, contrahuntur, & meridie sese undiq; explicant, ac si sponsum obuiis ulnis amplecti satagerẽt. Sed de his abũdè

Solsequij pictura pulchra.

Cur solsequium calẽdula dicatur, & rusticorũ horologiũ.

Cur solsequium Solis sponsa, & solaris herba dicatur.

Mirus solsequij amor erga Solem.

ſcriptũ in noſtris naturę Arcanis,& alibi.

Medica.

Cerebrum, conuulſio, uẽtriculus, iecur, liẽ, uterus, mẽſes & ſecundæ.

LAuãdula omnibus cerebri frigidis affectibus ſummè confert, ac conuulſis & reſolutis mirè auxiliatur. Ventriculum roborat, & iecur ab infarctu liberat. Quin & obſtructos lienes ualde iuuat, ac uterum calefacit, & menſes ſecundáſque educit. Fit è floribus ſtillatitium oleum uitreis organis, quod unguentarij oleum de ſpica vulgò nuncupant: odoris adeò penetrabilis & ualidi, ut cætera odoramenta ſuperet ac obtundat. Quò fit ut extra officinas & myropolia illud aſſeruent aromatarij, ne moſchi, ambari, zibbeti, aliorúmque unguentorum & aromatum ſuauitatem intercipiat. Valet ad eadem quæ planta ipſa, & multò præſtantiora, non exponenda nec publicanda omnibus.

Olei de ſpica uis odoratiſsima & mira.

Mentham ſcribit Florentinus, georgicę diſciplinę apud Græcos profeſſor eximius, uel ob id inutilem eſſe, quòd vulnerato exhibita, vulnus ſaneſcere & cicatricem ducere prohibeat. Si in lac proiiciatur, neque coaleſcere, neq; ſpiſſari permittet: etiam ſi ei coagulum remiſceatur. Eadem ui generationi reſiſtere tradit. Alij cõtrà, perquàm

Vulnus, lac & generatio.

ſalubrem haberi defendunt. Si mammis familiariter acceſſerit, nec coire lac patitur, nec denſari, quare lactis potionibus cõſultò additur: ne eius coagulatione periculum ſtrãgulationis immineat. Singultus & uomitiones cũ ſucco granati ſiſtit, ut Democritus in ſuis adnotauit Georgicis. Cum amylo ex aqua pota, cœliacorum impetus frenat, ac ſanguinem, mulierúmque purgationes immodicas cohibet. Vlcera in capite infantium ſanat. Huius odor animum excitat, & ſapor auiditatem in cibis. Recẽtis ſuccus ſpiritu ſubducto narium uitia emendat: qui etiam in capitis dolore, temporibus utiliter illinitur. Idẽ cũ aceto ſanguinis fluxiones internas continet ac ſiſtit. Quin aiunt plantam ipſam impetigines, uel ſi teneatur tantùm, prohibere: ac ſtomachum ualde iuuare, & in condimenta pluribus modis uenire.

Mentha lac coire nõ patitur.

Singultus, uomitiones, cœliaci, menſtrua, & ulcera infantium.

Narium uitia, capitis dolor, fluxus ſanguinis, impetigo & ſtomachus.

Thymi decoctũ cum melle orthopnoicis & ſuſpirioſis ſummè prodeſt: ualétque plurimùm ad quęuis pectoris uitia excreãda. Remoratos fœminarum menſes, & enectos partus, ſecundáſque pellit, ac urinas promouet. Thymos & uerrucas herba ipſa tollit, necnon iſchiadicis cum uino &

Orthopnoici ſuſpirioſi, & pectoris uitia.

Menſes, urinę, partus uerrucę, iſchias & oculi.

polenta medetur imposita. Oculorum claritati in cibo multùm etiam conferre creditur. Sed ea modicè utendũ est, quoniam excalfacit. Datur optimè comitialibus: quos correptos, olfactu eius excitari sæpè uidimus. Quin & illos dormire aiunt oportere in molli thymo. Folia trita & lanę insperſa, utiliter luxatis ex oleo apponuntur, & ambustis, ex adipe suillo efficaciter illinuntur. Contra podagram, etiam quæ omnino motum interceperit, opportunè exhibebis aridi thymi puluerem cum uino generoso. Cæterùm uitari debet is thymus qui niger est: & eligi qui flore cœruleo, uel albo insignitur.

Comitiales, luxati, ambusti, & podagra.

Thymus niger uitãdus.

Solsequij flos ex uino potus menses ciet: sed multò efficacius herbæ succus: quo in dentium dolore si os cum tantillo uini, uel aceti calidiusculi colluatur, præsentaneum adfert remedium. Idem præstat folium utcunque digitis remollitum, & dẽti crucianti appositum: sed illud igni oportet antè admouere. Quia frigidum, ut uenerandus ille medicinæ parens Hippocrates uerè scripsit, neruis, ossibus, cerebro, dẽtibus & spinali medullæ summè inimicum, ac ualde infensum esse solet.

Mẽses & dẽtium cruciatus.

Frigidũ neruosis partib⁹ omnib⁹ summè inimicũ.

Ve-

Vettonicæ coronariæ, & Sampſuchi ſeu Maioranæ cura, auxilia, & ſecreta. Cap. XXII.

VEttonica coronaria (inter flores ſuperiùs deſcribēda) quam Gallorum vulgus à floris figura, ocellum ſeu oilhettum, uel ab odore, garyophylleam nominare ſolet, tantam cum mulierculis iniuit gratiam, ſui odoris iucunditate, & coloris præſtantia, ut perpaucæ reperiātur apud nos, quæ in ſuis hortis, aut fictilibus uaſis, feneſtratim illam cura admodum diligenti nō foueant. Florem omniū ſpecioſiſsimum profert, caryophyllorum odoratu, ſed longè ſuauiſsimo. Quorum alius cocco rutilat, alius ſaturata nitet purpura, alius niueo blanditur colore, alius uerò uermiculato & uario applaudit aſpectu. Omnibus teres, longiuſculúſq; calix conceditur, orbiculo ſuperiore denticulatus, à quo folia prodeunt lentè fimbriata, in quibuſdam frequentiore coma ſtipata, in aliis rariore, ſed profundioribus inciſuris crenata. Quæ cùm fuerint prorſus explicata, radiatum orbem circinant per extrema ſerratum: geminis utrinque emicantibus ſtamineis apiculis. Non deſunt qui ſibi per-

Vettonica mulierculis gratiſsima.

Pulcherrima vettonicę deſcriptio.

Quomodo cõciliatus odor uettonicæ.

ſuadeant, olitores radicibus caryophyllum adegiſſe, uel factis ſtylo foraminibus inſeruiſſe, quò iucundum odorem illum flores alliciant, & caryophyllorum ſuauitatem naribus expirent. Sic ex flore minùs odoro, quàm odoratiſsimus prodiit, humano artificio nouitatis ſemper ſtudioſo. Apud nos ſemine rariùs ſeritur: quin olitores ineunte uere & autũno, ſobolem à radice copioſam eruunt, & patulis fictilibus, aut cadis, ligneíſue ſitulis pangunt in terra, putri fimo ſaturata. Et cũ hyemis gelicidia premunt, ſub tecto locis à frigoribus tutis recondunt. Cum uerò ſerenat cœlum, feruidúſq; Sol illuceſcit, in apertum reuocãt: & ſub dio illic apricari ſinunt. Si inceſſerit pluuia, aliquãtiſper madeſcere permittũt, & cœleſtem imbrem haurire. Sed mirum eſt, quòd tam celebris flos, támq; iucũdus, à ueteribus ſilentio inuolutus fuerit: qui pulchritudine, uarietate, amplitudine & odore, roſa inferior non uidetur: imò uerò cum ea de principatu certat, illi nec colore cedens purpureo, candido, uermiculato, nec etiam odore, niſi quòd à longinquo plus olet recens roſa: cui decerptæ lõgiſsima mora dies eſſe ſolet: uettonicæ in

Quomodo & quãdo ſeratur uettonica.

Vettonica priſcis incognita, quę ne roſis quidem cedit.

quatriduum, & ampliùs, uita uigórq; perseuerat. Folia insunt nonnullis quaterna, quiná ue, aliis rosæ modo numerosa. Prodigij simile est quod hîc referam. Si ad calendas Octobris, uettonicæ, uiolarum & similiũ plantulas cum radicibus, in uinaceis quibus cortices sint exēpti sepelíueris, aut in fimo equino identidem reparato, flores pulcherrimos tibi edent sub brumam: atque ita de fragis ac melonibus. Sed à frigore externo seruari debēt: plurimùm uerò cum fœtibus emoriuntur. Autor Hieron. Cardanus. Hinc sanè admirari desino, quòd iuuenis solebã, dum uettonicam in uinariis cellis & subterraneis locis, totam fruticare per hyemen, & fauente loci tepore flores parere obseruabam. Olitores in hortis multo lætamine paleato illam munire solent, ac circunuestire, ut ab iniuria gelantis, ningentis, aut grandinantis cœli asseratur. Nam apricis plurimũ gaudet, ac Solis illustratione summè exhilaratur. Est & admiratione illud dignũ, ꝙ hæc planta uno anno florē parit cãdidum, altero purpureum, tertio colorum uarietate promiscuum. Et quod multò mirabilius dici posſit: uidimus ramum eundem, ni-

Quomodo uettonica hyeme efflorebit.

Quomodo hyeme seruãda uettonica.

uum, purpureum, ac uermiculatum florem expromere. Quod cultus studio, aut soli cõmutantis ubertate, fieri solet. Quã-quam multos id assecutos uidi, defixis in ouillam aut caprinã baccam, uel cannulã fragilem, detritúm ue linteolum, diuersis uettonicæ seminibus arte compositis, & terra ac stercore diligenter opertis. Nam semina illa in unam coalescunt radicem, quæ ramos florum uarietate illustres emittit. Hoc loco non arbitror prætereundum quòd uettonicæ flos, unguibus detractis, acetum iucundo sapore commendat, modò in Sole uitreis uasis maceretur.

Quomodo colenda vettonica, quæ uno ramo flores diuersos emittat.

Acetum ex vettonica.

Sampsuchus seu amaracus uulgò maiorana dici solet, nomine à Latinis mutuato: fortasse quòd maiore cura ac diligentia seratur, colatúrque, quàm cæteræ plantæ. Vel quòd odore perquàm iucundo commendetur, & perpetua uireat coma. Seritur utroque genere, nimirũ semine & ramo: estque magnoperè uiuax, & cultura nonnunquam arborescens: cuius plantæ transferri possunt. Diocles medicus & Sicula gens amaracum appellauerunt, quod Aegyptus & Syria sampsuchum. Video sanè inter utrunque à poëtis & oratoribus,

Cur sampsuchus maiorana dicatur: & unde.

Dioſcoride item & Plinio nullũ, niſi appellationis nomine, diſcrimen poſitũ fuiſſe: licet in contraria ſint ſententia Cl. Galenus & Paul. Aegineta, multíque recentiorum medicorum, qui longè aliter de amaraco ſentiunt. Sed doctorũ teſtimonio conſtat, hos & eorum ſequaceis, amaracum pro parthenio uſurpaſſe: quod & leucanthen & amaracũ appellari tradit Plinius. Sed lapſus is multo eſt euidentior, quàm ut refelli deſideret: ſiquidem ſampſuchus iucundo placet odore, illorum uerò amaracus ſiue parthenium magnoperè uiroſo faſtiditur. Vnde mulieres uuluæ ſtrangulatui illud ſalubriter odorari ſolẽt. Ex quo matricariæ nomen ei indiderunt. Hîc non licet omittere quòd mures radicibus maioranæ ualde inſidiantur, ceu medicamentum & auxilium ab his depoſcentes.

Cõtrouerſia de ſampſucho & amaraco.

Priſcos medicos cũ parthenio confudiſſe amaracum.

Medica.

HIc de vettonicæ medicis præſidiis nihil à me expectabis: ꝗ priſci rerũ agri & medicinæ doctores de illa (hortenſi, inquã, & coronaria) ne uerbum quidem ullũ fecerint. Venio itaq; ad ſampſuchum ſiue maioranam, cuius uis excalfa-

Vettonica hortẽſis olim ignorata.

Hydrops, dysuria & tormina.

ciens esse obseruatur. Decocti iusculum ad incipientem aquam intercutem potu utilis censetur: & iis quos lotij difficultas, aut tormina discruciant. Folia arida ex melle illita, sugillata emendant: & remoratos menseis subdita in pesso trahunt. Oculorum inflammationes prohibent, & cum polenta tumores. Scorpionibus ex aceto & melle perlita aduersantur: necnon cum cera luxatis ac torminibus mirè prosunt. Expressionis succus narium sternutamenta mouet, & ob id cerebrum expurgat. Reliqua erunt ex medicorum libris eruenda.

Sugillata, menstrua, ophthalmia, tumores, luxata tormina & sternutamentum.

Bellij seu bellidis, & Phlogij hoc est uiolæ flammeę & inodoræ, adhæc Iridis, cura, auxilia, & secreta. Cap. XXIII.

ETsi duæ plantulæ sequentes, & earũdem flores in censu odoratorum ritè adnumerari non posint, scribam nihilominus de illis, uel ob id quòd in coronamenta ueniant, & hortorum areas mira elegãtia uestiant. Itaque Bellis seu bellius trium generum esse conspicitur. Primum in hortis seritur, de quo hîc potisimùm agemus. Reliqua in pratis & campestri-

Tria esse genera bellidis.

bus naſcuntur: de quibus nihil à me expectabis, qui hortenſia & nō campeſtria tracto. Venio ad rem. Bellius hortenſis herbula eſt foliis lōgiuſculis ſolo procumbentibus, in cacumine ſubrotundis & ad rotæ modum radiantibus, craſsiuſculis, per ambitum minutim ſerratis, è quorum medio cauliculi prodeunt uilloſi ac flexibiles, flores anno ferè toto geſtantes in cacuminibus uerſicolores ac inodoros, qui barbulis multis circinantur. Ex quibus alij punicei ſpectantur, alij emaculato candore placent, à quo Gallis margaritæ nomen adipiſcuntur: alij uerò mixtis coloribus applaudunt. Bellides omnes noſtratibus Borboniis Paſquetæ appellantur: quòd circa Paſcha (ut opinor) oriri incipiant, uel quòd oculos grato colore paſcant.

Picturæ bellidis pulchra & elegans hiſtoria.

Bellidum colores uarij.

Autoris mirū ingeniū.

Phlogiō uiolæ inodoræ genus illud eſſe mihi uidetur quod Gallicum vulgus Penſeam uocat, folio mercurialis herbæ per ambitū crenato, cauliculo triangulo intus cauo, leniter ſtriato & ex interuallis geniculatim foliato, prodeūtibus ex alarum ſinu pediculis longis, in quorum capitellis emicant uiolæ figura purpurearū ſeu mar-

Violæ inodorę deſcriptio.

tiarum, tribus flosculis summa parte latis, atráque purpura saturatis, & duobus infernè luteis ac angustis, lineolis quinque rutilo ignis fulgore radiantibus exaratis: à quibus phlogij seu flammulæ nomen illis, ut reor, inditum fuit. Vere statim post purpuream uiolam se prodit plantæ huius flosculus, éstque coronis aptus, odore, ut diximus, nullo, sed colore ubique commendato: qui plurimùm durat, nam in autumnum prorogatur: imò uerò tepidioribus locis ubi cœlum arridet clementiùs, etiam hyeme spectari solet. Venio ad tertiam plantam, flore pulchram & radice odoratam.

Pulchra & notatu digna.

Violæ inodoræ flos lõgæuus.

IRis cuique notissima est, foliis cõstãs gladioli, sed maioribus, pinguioribus & latioribus. Vnde quibusdam Galliæ partibus glaiutum, ac si diceres gladiolum, nũcupari solet: quòd folium in gladij speciem mucronatum habeat. Caule nititur recto & semipedali ex cuius fastigiis singulis inter se paribus, flores exeũt labiorũ mutuo inflexu recurui, & coloris uarij: nimirum candiduli, pallentis, lutei, purpurei & cœrulei. A qua uarietate cœlestem arcũ exprimente, nomẽ cœlestis lilij

Iris pictura, & unde glaiutum dicatur.

Hortẽsis iridis colores: & unde cœleste lilium dicatur.

apud herbularios ſibi adoptauit: ac ſi rudimenta quædam arcus cœleſtis uerſicolore linearum diſcurſu, in ſui calathi concauo, ob oculos ſpectantium ponere ſatageret. Rura alicubi flammã uocant: propter eaſdem, ut arbitror, cauſas, quas ſuprà in phlogio, ſeu flãmea uiola protulimus: quæ mihi ſpecimen uidetur eſſe naturæ irin effingere condiſcentis. Radices fundit geniculatas, ſolidas & ſummè odoratas: quas ſub ueris exitum terra erutas, plerique in orbiculatas taleolas diſſecant, & ſiccatas in umbra, filóque tranſſutas penſiles recondunt: aut lixiuio macerant ad exhauriendam & abſorbendam ſucci uim, quo tinearum iniuriis ſunt opportunæ: dein ſiccatas includunt: nam teredines non ſiccæ modò, uerùm & in terra uirides celerrimè ſentiunt. Plerique ita curatas armariis imponunt, ut odore perquàm iucundo ueſtes & lineam ſupellectilem commendent ac imbuant.

Iris flamma quibuſdam dicta.

Pulchra & notanda de radicib⁹ iridis.

Radices iridis armariis & rebus illorum odorem conciliare.

Medica.

BEllis trita cum artemiſia ſtrumas efficaciſsimè compeſcit. Laudatur & ad podagras, iſchiada & paralyſim. Vnde nonnulli etiam paralyſis herbam uocarũt.

Strumę, podagra, iſchias & paralyſis.

Fracturæ capitis & vulnera thoracis.

Valet etiam ad capitis fracturas, & thoracis vulnera quæ in pectoris cauitatem penetrant: in quem uſum ſuccus eius potionibus inſeritur.

Phlogij ſeu flammeæ uiolæ facultates hîc à me prętermittũtur, quia ſcriptę (quod ſciam) non extant apud Geoponicos, nec item medicos, ſiue Græci fuerint illi, ſiue Arabes, aut Latini.

Tuſsis, tormina, lienoſi, cõuulſi, perfrigerati & mẽſtrua.

Iridis radici uis ineſt excalfactoria ac extenuans, & ob id cõtra tuſsim efficax eſſe cenſetur: necnon ad digerendã craſsitiem humorum qui ægrè reiiciuntur: qua ratione torminibus medetur. Cum aceto lienoſis, conuulſis, perfrigeratis, & quibus genitura effluit, ſummè prodeſt, & ex uino pota mẽſes pellit ac excretiones faciles reddit. Præterea lumbis ac coxendicibus ex reſina utiliter illinitur: & naribus admota ſternutamentum mouet: caput purgat, lachrymas elicit, ſomnum conciliat & orthopnœas diſcutit. Oris halitus fœdos commanducata abolet, alarúmq; tædia ac graue uirus emendat. In coxendicum dolore ſuccus recentis utiliter clyſteribus infunditur, & fotus decoctionis fœminarum incõmoda leuat, earum locos emolliendo, &

Lumbi, coxẽdices, ſternutamentum & caput.

contractos reparando. Arida radix eadem tuſa ulcera purgat, ac fiſtulas, ſinúſque replet. Valet etiam farina ad paronychias, & cũ uino ad clauos ac uerrucas. Oſſa fracta cum melle indita extrahit, & nudata carne conueſtit. Lentes emaculat & cutis uitia in facie, dentiúmque cruciatus mulcet, ſi eius decocto foueantur, & ſit dolor à cauſa frigida. Quæ omnia efficaciùs præſtabit Illiricæ iridis radix, quàm quæ nobis vulgaris eſt & hortenſis. Non ſum neſcius curioſulos pleroſque in hoc ſecundo libro deſideraturos hiſtorias hortenſium leguminum, piſorum, inquam, fabarum, cicerum & ſimilium, quæ in hortis apud multos ſeruntur & coluntur. Verumenimuero, quia cũ Cerealibus de his peculiare Enchiridiõ edituri ſumus, ſicuti in præfatiuncula ſcripſimus, idcirco ne uerbulum quidem hîc adnotabimus: nec item de hortenſi uite & pergularia. Nam de uitibus & uinis proprium itidem ſumus exhibituri Enchiridion, ſi per fata, fortunam noſtram & occupationes liceat.

Vlcera, fiſtulæ, paronychiæ, claui, uerrucæ, oſſa fracta, &c.

Autoris honeſta excuſatio, & mira modeſtia.

Abſinthij, & Abrotani cura, auxilia, ac ſecreta. Cap. XXIIII.

SIcut in hoc mundi theatro rerum omnium parens illa, iucundis tristia miscet, & dulcibus amara, ita ego in hac hortensium historia, suauibus insuauia miscebo, & gratis ingrata. De absinthij itaq; & abrotani plantis hîc mihi scribendum restat, quę tam odore quàm sapore iniucūdas esse nemo nescit. Absinthij genera tria esse constat, unum vulgare, Gallis Aluina uocatum, ac si diceres aloïna, ab insigni amarore aloes quem præ se fert. Nostrates Borbonij Fortum, à forti & uehemēti illius odore ac sapore nuncupant. Huic Ponticū Galeno maximè simile esse traditur, à Ponto nomen habens, ubi pecora illo pinguescere, & ob id sine felle inueniri autor est Plinius. Veteres huius folia paruulis dabant in fico, ut amaritudinem fallerent: aut illitis melle uasculi labris, quod Lucretius his uersibus eleganter expresit,

Absinthij genera tria, & unde aluina seu fortū dicantur.

Notanda de absinthij exhibitione.

> Ac ueluti pueris absinthia tetra medentes
> Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
> Aspirant mellis dulci flauóque liquore.

Alterum genus Seriphium uocant seu marinum, cuius semine medici uermib⁹ & lūbricis corporis necem moliuntur: & ob id semen contra lumbricos nuncupant. Gal-

Semen cōtra lumbricos & barbotina.

licum vulgus barbotinam, & mortem uermium : quas appellationes officinæ egregiè norunt. Tertium Santonicum dicitur gentili regionis uocabulo: quod ut reliquis minus est, ita amarore multò mitius. Hodie in plurimis hortorum areis passim seri solet: imò uerò de coma acetariis remisceri, summo uentriculi & hepatis commodo ac beneficio.

Abrotanum duorum generum esse conspicitur, unum mas, alterũ fœmina: utriq; amaritudo absinthij inest. Fœmina Dioscoridi quadam arboris specie fruticat, & ob id multis Cypressus appellatur, foliis circa ramulos minutim concisis candicãs, & auri fulgore corymbis in fastigio rutilãs, cui odor cum quadam grauitate subiucundus adesse solet, & sapor amarus. Mas foliis constat non usqueadeò albicantibus, éstque illius frutex surculosior. Galli Latinos imitati utrunque auronum, duabus literis extritis nuncupant: adhæc uestiarium custodem, quòd armariis sparsum uestes à tineis uindicet. Altiosum est admodũ tam hoc quàm illud: quare frigus multùm reformidat, Soléque nimio læditur, suo se cacumine propagans. Theophrastus radice

Abrotani genera duo.

Abrotanũ uestes à tineis uindicare.

uel auulſo ramulo, potiùs quàm ſeminio germinare prodidit. Sed mirari licet cùm calida dote ſit præditum, cur frigus tantopere horreat, & æſtũ non ferat. Idem Theophraſtus rationem in infirmitate collocat: nam uiribus tam contra frigus, quàm contra æſtum longè eſt impar.

Abrotanum nec frig⁹ nec æſtum ferre.

Medica.

ABſinthium decoctũ, uaporis ſuffitu dentium auriúmque dolores tollit: híſque ſi manat ſanies utiliter inſtillatur: potionibus tamen improbatur, ſtomacho & capiti dolorem inferens: quibus proſunt eiuſdem folia admota. Cruditates tollit cum pipere, ruta & ſale: adhæc thoracem purgat cum iride ſumptum: quod de Pontico, & maximè Santonico dictũ accipies. In regio morbo bibitur ſalubriter cũ apio uel adianto, & menſes priuatim cum melle ſumptũ, aut uellere appoſitum trahit: ſanat pruritus, nauſeas maris arcet in nauigationibus potum, uel olfactum, & è regione uentriculi appenſum: quod de Seriphio ſeu marino fœliciter ſum expertus nauigando, aliis qui aderant paſsim nauſeantibus ac uomiturientibus. Capillum denigrat cinis roſaceo unguento permi-

Dentium & auriũ dolor: adhæc cruditates & thoracis uitia.

Regius morbus, menſes, pruritus & nauſea.

Capill⁹, ſomnus, uentriculi affectus, ueſtes & libri.

ſtus: ac ſomnos olfactu allicit abſinthium ſub capite repoſitum. Tranſit ſapor eius in uinum, quod uocant abſinthitem, quo nihil præſtantius in affectibus uentriculi. Inſperſum ueſtiariis, ab erodentium iniuriis uindicat: & atramẽtum librarium diluto eius temperatum literas à muribus tuetur.

Abrotanum in uino potum contra uenena eſt antidotum: cum oleo illitum prodeſt algentibus, efficaciſsimámq; eſſe aiunt herbã cõtra omnia ueneficia quibus coitus impeditur: in cubili ſtratũ & ſuffitum ſerpentes ac uenenatum reptile quoduis fugat. Cinis eius barbam tardiùs enaſcentem cum oleo raphanino, aut cicino, uel ſabino elicit. Reliqua ex Dioſcoride, Plinio & Galeno ſunt petenda.

Venena, algores, coitus impedimenta, ſerpentes & barba.

Fragariæ, Frambœſij & Groſſularij uel Groſellarij, cura, auxilia, ac ſecreta. Caput. XXV.

DVm fœtus hortenſes qui ſupra terram extant percurrebamus, fragaria deſcribenda erat: quia uerò tunc nobis, neſcio quo fato, excidit memoria, hoc loco reſtituẽda uenit. Herbula eſt fra-

Hiſtoria & deſcriptio fragariæ pulcherrima.

ga gerens, unde nomen habet, & foliis tribus constans, quæ humi sine caule spargũtur, multis à radice lanuginosis pediculis exeuntibus, quorum alij flore candido coronantur, alij trigemino, ut diximus, comantur folio per ambitum serrato atq; uenoso: qui fructum gerunt exiguis moris haud absimilem, callosum, tenerum, rubentem (dum maturuit) ac gustu & odore suauissimum, Gallorũ vulgo Fresa nuncupatum. Spontè nascitur in opacis, quasi aliarum plantarum umbra gaudeat, & in hortis cultura tam grandis euadit, ut mora quæ in rubo nascũtur suo globulo æquare cernatur: hinc morum terrestre Virgilianus Seruius fortasse appellauit. Sunt ex fragis quę diligentia & cura coloni è rubris in candida degenerarunt.

Fructus fragariæ pictura elegans.

Vnde magnꝰ euadit fragariæ fructus.

Frambœsia quibusdam Idęus rubus esse putatur. Frutex est pumilus & humilis, spinis prorsus uiduus, cui morum rubens appendet (ubi maturuit) Gallis Frambœsia appellatum: quod germano sapore, palato mirum in modum placet & applaudit. Vnde, cùm uinum generosum à sapore laudare uolumus, olere frambœsiam aut fragum uernaculo sermone nostro dicimus.

Pulchra & notatu digna

Grossul-

Groſſularius uel Groſellarius, quantum mihi licet coniectare, ueteribus ſilētio fuit obuolutus: quanquam non defuerunt qui Rhamnū eſſe dixerint, alij oxyacantham, ſed temerè. Frutex eſt aculeatus, folio apij ferè, acinis candidis & in maturitate dulcibus, qui frequens hodie in hortis eſſe ſolet: cuius bacca non ingrata diſplicet acerbitate, magnámque init cum palato gratiam: quare diuitum ac pauperum iuribus innatare ſolet, & in dulciarios panes ac farcimina paſsim tranſire: uere præſertim dum vuę acerbę locum ſupplet, quo nomine grauidis ſummè expetitur. Vulgus Gallicum, Groſſularium uel groſellarium, & eius fructum Groſellam ſeu groſſulam nominat: quòd groſſulorum fici quandā præ ſe ferat imaginem. Bacca maturitate in cibum dulceſcit, ac nonnullorum menſis inter poſtremos cibos apponi ſolet.

Groſſularij pictura pulchra.

De groſſularij bacca notatu digna.

Vnde groſſularij & groſſulæ nomen.

Eſt in hortis alter frutex nullis planè ſpinis horridus, folio uitis puſillæ & iuuenis, rubentem vuulam ferens ſapore ſubacido, cuius acini racematim congeſti pendent, faſtidium cibi diſcutientes, & more punici mali abeuntem appetentiam reuocantes. Noſtratibus groſſula ſeu groſella rubra,

Groſellæ rubræ pulcherrima deſcriptio.

uel transmarina vulgò dici solet. Sunt qui putēt à Mauritanis Riben appellari. Frutex iste in usum topiarium uenit, sepítque eleganter hortorum puluinos & areas.

Medica.

TAm fraga quàm framboesia citam sentiunt corruptionis labem: quapropter facilè febrim experiuntur, qui hoc cibo fugaci largiùs uescuntur. Fragaria cibo sumpta lienosis medetur: idémque præstat succus ex melle sumptus. Folia & radix tam vulnera quàm ulcera sanant, muliebres fluxus & dysenterias cohibēt, ac urinam cient. Herbę & radicis decoctū haustum iecinoris inflammationibus auxiliatur, mundátq; renes & uesicam. Idem ore contentum, collutionísque modo agitatū, gingiuas roborat, dentes commotos firmat, & destillationes sistit. Vinum quod ex fragis elicitur, ulcusculis quæ in facie à caliditate proueniunt, mirificè medetur: itémque uaros & oculorum nubeculas, calidásque defluxiones impositum tollit.

Febris, lienosi, vulnera, ulcera, mēstrua dysenteria & urinæ.

Inflammatio iecinoris, renes, uesica, gingiuæ, dētes, ulcuscula, uari & alia

Grossulæ siue grosellæ tam candidæ quàm rubræ (sed postremę magis) æstuantem stomachū refrigerant, & sitim restinguunt, quæ cùm alios tum maximè febri-

Aestuās stomachus, sitis, uomitio, alui profluuium, & alia.

citantes excruciat. Vomitiones ſiſtunt, ſtomachum firmant, alui profluuium retinẽt quod flaua bilis attulerit, ac uentris eroſiones & uellicatus tollunt, ſanguiníſque feruorem demulcẽt, ac bilis acrimoniam obtundunt: abundantiam fœminarum retinẽt, & (ut paucis dicã) cœliacis, dyſentericis, ac cholericis ꝓſunt. Salgamarij ſaccha ro uel melle cõdiunt ad anni totius uſum.

Sola Oruалla ſiue Totabona, in hac ſecundi libri hortenſium herbarum hiſtoria, de omnibus poſtrema ſeſe offert: quam inter odoratas plantas libenter deſcripſiſſem, ſi apud ueteres aliquid de ea adnotatũ reperiſſem. Non deſunt qui ad ſatiuum horminum, aut ſaluiam tranſmarinam referre uoluerint, quod quàm rectè, iudices erunt rei herbariæ periti. Hoc tantũ de ea in præſentiarũ ſcribam: ad excutiẽdam oculorũ caliginẽ, & extrahẽda quæ in illos inciderunt, tam urbani q̃ ruſtici homines ſemen oruallę immittũt: quod multa reuolutione per orbem oculorũ raptũ, humore prægnãs & quaſi tenuibus onuſtũ membranulis ac ſordibus, tandem egreditur, ſecum educẽs quæ inciderunt, aut moleſta ſunt. Iam ad hortenſes arbores nobis tranſeundum.

Orualla priſcis incognita.

Quomodo excutiatur oculorũ caligo, & extrahãtur quæ in illos incidérunt.

ANTONII MIZALDI
Monluciani de hortorum cura, auxiliis & secretis, Liber III.


Amque alios uocor ad cultus, aliúmue laborem
Hortorum: neque enim simplex genus, unáue stirpis
Hortensis soboles, ratio ac tantum una colendi.

Epilogus superioris libri, cum parasceue ad frugiferarũ arborum historiam.

Proximo itaq; libro hortensia olera, edules item radices, & herbaceos fructus cum odoratis plantis & floribus, pro nostræ Mineruæ captu & modulo utcunque expediuimus. Superest ut simili methodo & diligentia frugiferas hortorum arbores, uitæ humanæ accommodas, earumdémq; fructus hoc libro persequamur: siue molli tunica uestiantur illi, quos Græci geoponici

Latinis quid poma & nuces.

oporas, Latini poma nuncuparunt: siue dura & forinsecus lignosa, quos itidem illi acródrya, nostri uerò nuces appellare solẽt. Opus sanè uarium & impeditum, sed legi tamen & cognosci dignissimum: si minus scribentis ope, saltẽ sui contẽplatione & indicibili uoluptate, quę comitẽ habet utilitatem pari beneficio coniunctã. Vt itaq; tabulę (quod dicunt) manũ admoueam, omniũ

primùm de cura, ſtudio & auxiliis quæ arboribus generatim congruũt, pro mea tenuitate ſcribã: hinc mihi gradũ facturus ad ea quę ſeorſum & particulatim unicuiq; arbori debentur, & propria ſunt.

Autoris ſcopus & inſtitutum in hoc libro.

Hortenſium arborum præcepta quædã & auxilia generalia Cap. I.

QVisquis ille fuit qui dixit & ſcripſit hyemes ſerenas agricolis optandas eſſe, nę pro arboribus tam hortenſibus & fructiferis, quàm aliis, uota nõ fecit: quemadmodũ ſcripſit Plinius: nam cõmunia arborũ uota eſſe ſolent, niues diuturnas ſedere. Cauſa, nõ ſolùm quia animã terræ euaneſcentẽ exhalatione, includũt & cõprimũt, retróq; agunt in radices: ſed etiã ꝙ liquorem ſenſim prębẽt purum ac leniſſimum: quando aquarũ cœleſtium ſpuma eſſe dicuntur niues. Ergo humor ex his nõ uniuerſim ingurgitans diluénſq;, ſed quomodo ſititur ſtillans, uelut ex ubere alit omnia, quæ non inundat. Sunt itaq; niues & tempeſtiua frigora arboribus ſummè utilia: nã illarũ firmitati plurimũ cõferũt, & ſic optimè germinãt. Quòd ad aquas attinet, opportunæ ſunt quæ germinationem

Arborum uota cõmunia.

Quas cõmoditates adferant niues & frigora arboribus.

Quãdo aquæ utiles arboribus.

prȩcedunt : tum demũ cùm educant poma arbores: nec protinus, sed iam ualido fœtu. Quæ fructus suos diutius continent, longioresq; desiderant cibos, his & serotinæ aquæ utiles esse solent. Cæterùm, generis cuiusque arboribus diuerso modo desiderantur, aliis alio tempore maturantibus : quapropter iisdẽ imbribus quasdã lædi uideas, alias iuuari, etiam in eodem genere. Sicut in pyris alio die hyberna quærunt pluuias, alio uerò prȩcocia. Sunt qui nocturnos imbreis diurnis præferant : quòd eos Sol statim non diripiat. Sed quomodo radicibus arborũ admittenda sit aqua, & ibidem retinenda, audiendus est Virgilius.

Aquas arboribus diuerso modo deside rari.

Aut lapidẽ bibulũ (inquit) aut squalẽteis infode cõchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuísque subibit
Halitus: atque animos tollent sata.

Vt arbores aquam admittant, ex Virg.

Si diutius humidi blandiuntur austri, defatiscentes fiunt arbores, ac magis etiam in flore. Si cùm defloruere protinus sequantur imbres, in totum poma depereunt: adeò ut amygdalæ & pyri, si omnino nubilum fuit cœlum, austrinúsue flatus, suos amittant fructus, eodem Plinio autore. Qui etiam admonet arborem post collectos fructus purgari debere, amputata omni superfluitate, & ablatis truncorum propa-

Imbres arboribus cũ defloruere inimici.

ginibus, ut leuior ſit, adhæc habitior: & ſi nouella eſt, rectior. Quæ ſi delicatior erit, blandè tractari debet: nam rudi contactu facilè obtorpeſcit. Iam quod ad poſitionē & ſationem attinet, raris interuallis ponē-dæ ſunt arbores ac plantandæ: ut cùm creuerint, ſpatium habeant, quo ramos extendant. Nam ſi ſpiſsè poſueris, ut loquitur Columella, nec infrà ſerere quid poteris, nec ipſæ fructuoſæ erunt, niſi interuulſeris. Dum transferre uolueris, antè quàm id aggrediaris, ſedulò tibi notandum erit quibus uentis expoſitæ erant, ut ſimili ſitu illas componas & implantes. Quod dum facis, in imum uſque ſcrobem, ſarmentorum faſciculos craſsitudine brachij debes demittere, ita ut ſupra terram paululum extent. Nam æſtate paruo labore aquam radicibus per illos ſubminiſtrare poteris. Sed optimum erit annum antè quàm plantare uoles, ſcrobem fodere, ut terra Sole & pluuiis opportunè maceretur, & quod poſitum eſt citò cōprehendat. Quòd ſi eodem anno & ſcrobem facere, & arbores ſerere uoles: minimùm antè menſes duos ſcrobem fodies, poſteà ſtramentis

Arbores à ſuperfluitatib⁹ purgari debere.

De arborum tranſlatione.

Secreta pro arborū tranſpoſitione & plantatione.

incensis, ut vult Columella, calefacies. Quem si latiorem patentiorémque feceris, lætiores, uberioréſque fructus percipies. Scrobem uerò clibano similem aperies: cuius imum summo patentius sit, ut laxiùs radices uagentur, ac minus frigoris hyeme, minúsque æstate calidi uaporis per os angustum penetret. Generatim autem sic arbusculas & arbores dispones, ne imbecilla à ualentiore prematur: quia nec uiribus nec magnitudine par esse potest, imparíque temporis spatio adolescit. Porrò summè cauendum est ne post rigidas tempestates, & violentas cœli iniurias, arbores ferro vulneres uel amputes: præsertim quæ fructiferæ sunt. Quod pulchrè his uersibus expresit Iouinanus Pontanus.

Forma scrobis ad trãsferendas arbores: & de illarum dispositione.

Notanda & aduertenda.

Nã memini (inquit) cùm nullæ arteis, non arma, doliq;
Vim cœli aduersam ferrent, periere comanteis
Syluæ: obriguere gelu nemora omnia, cuncti
Horti: dum furiit Scythicis aquilonibus aër:
Et caua consuetos tenuerunt flumina cursus:
Quod quando (auertat deus ipse) rigentibus euris
Contigerit: neu tu gladio, neu cęde securi
Arenteis hortos: sed calce, sed imbre madenti
Affer opem: hoc fac sæpe hyeme, hoc fac uere tepenti:
Crede mihi non te fallet labor: namque repentè
Pullulat ab radice, aut summo stipite læta
Arbos, gemmas fundens, & germine frondens.

Secretũ pulcherrimum pro arborib[9] gelu tactis.

Cauendum prætereà ne una arbor, alterius ſtillicidium quatiente uento excipiat: præſertim ſi diuerſi fuerint generis. Adhęc ne ęſtate radices cõtra Solem nudẽtur, aut ab eo feriantur: & ne hominis manu cacumina duriter tractentur: aut à pecoribus prærodantur: nam in poſterum capere incrementum nequeunt, maximè ſi tenellæ fuerint. Sed de trãſlatione hîc paucis ſeriò agendum nobis reſtat ex Columella & Plinio. Arbuſculę omnes priuſquam transferantur, rubrica ſunt notandæ: ut cùm ponentur, eaſdem cœli parteis aſpiciant, quas in ſuo ſeminario uidebant: alioquin frigore, uel calore laborabunt ab his partibus quas pręter cõſuetudinẽ ſub alio tractu expoſitas habuerint. Erit ergo plaga cœli in tranſlatis ſimilis retinenda, ut priùs adnotauimus, ne aquiloniæ partes meridianis oppoſitæ Solibus findãtur: aut algeant meridianæ, aquilonibus obuerſæ, quemadmodum ſcripſit M. Cato, & poſt illum Virgil. Latinæ agriculturę doctor elegantiſsimus, his uerſibus:

Rerum arborearum præcepta pulcherrima.

Quinetiam cœli regionem in cortice ſignant:
Vt quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obuerterit axi,
Reſtituant. adeò in teneris aſſueſcere multum eſt.

Trãſlatæ arbores ſitum proprium ſeruare debent.

Plerique arborem nec minorem bima, nec maiorem trima transferri præcipiunt, censentque non negligendum ne radices mora inarescant: néue à septentrionibus, aut ab ea parte cœli usque ad exortum brumalem, uento flante effodiantur arbores: aut iis uentis radices exponãtur: nam ita emoriuntur, ignaris causæ agricolis. Proderit etiam, quam plurimum terræ in qua uixerint arbores, radicibus cohærere: ac totas cespite circunligari. ob id Cato in corbibus transferri iubet. Rigari debebunt quoties cœlestis imbris negabitur profusio, & ingens ęstus perseuerauerit: nam ita maioris incrementi fructus dabunt, ac uegetiores, lætioresque euadent. Amant nõnullæ circunfodi, & ablaqueari: quod si non præstetur, aut sterilescunt, aut à sua natura degenerant. Sunt quæ tam siccis quàm humidis locis musco infestentur: quem nisi ferramento deraseris & abstraxeris, nec fructum nec lætam frondem emittent: debent itaque diligenter emuscari, nisi quid aliud peculiare præpedierit. De morbis & laboribus arborũ scribẽdum aliquid superest.

Radicum in arboribus sũma ratio habenda.

Arborum rigatio.

Arborũ ablaqueatio.

Arborum emuscatio.

Arborum ac ſtripium hortẽſium morbi, labores & impedimenta aliquot. Cap. II

LAborant, impediuntur & ægrotãt arbores, ut ſtirpes aliꝗ, modis multis. Quædam in ipſa ſeminum proiectione: aliꝗ in pullulatu & germinatione: multæ in flore: nonnullæ in geſtatione, partu & educatione, uel aliter, ut poſteà dicemus. Idq́ue uel à ſyderatione, carbunculatione, rubigine, pruina, nebula, grãdine, imbre, frigore, flatu, coloni imperitia, ſoli uitio, æſtu, vulnere, eroſione, cruditate, obeſitate, tabe, repletione, peſte, uermiculatione, atrophia, ſiccitate, formicatione, & aliis. Sunt itaque arborum ac plantarum, ſiue domeſticæ illæ fuerint, ſiue agreſtes, iniuriæ diuerſæ, morbi multiplices, ac incommoda uaria. Quorum primas tenent ſyderatio, carbũculatio & rubigo: de quibus in fine libri primi abundè ſcripſimus. Vermiculãtur inter ſtirpes aliꝗ magis, aliꝗ minùs, quod aues caui & marcidi corticis ſono experiuntur. Sunt quæ uermiculis omnis generis infeſtantur, ut puerorum & adultorũ corpora: ex quibus plerunque contingit atrophia, tabes & mors. Laborãt nonnul-

Variis modis arbores ac ſtirpes laborare.

Iniuriæ arborũ diuerſæ.

Arborũ uermiculatio.

Plenitudo, fames, obesitas & tabes arborum.

læ plethora seu plenitudine: quæ sæpenumero comitem habet cruditatẽ ob redundantis humoris copiam. Nonnunquam etiam fame, ob eiusdem inopiam & paucitatem: adhæc obesitate, uti nimio adipe animalia, ob immodici alimenti luxuriantem prouentum: & interdum tabe ac marcore, ob eiusdem parsimoniam, defectum uel prauitatem: aut cùm macie corticis ex ægritudine astringente se, uitalia arborum plus iusto comprimuntur. Aliis contingũt uulnera, cõtusiones, fracturæ, luxationes, partium debilitates: quæ societate nominum, cum hominum morbis & miseriis quoque conueniunt. Hinc trunca dicimus arborum & herbarum corpora, & germinum oculos exustos, & multa alia sorte simili. Sunt etiam quæ clauum patiuntur, seu fungum, à superassato, aut addensato & lapidescente succo: quales sunt in hominum & animalium corporibus tophi ac nodi. Scabies arborum omnium communis est affectus: quæ lentis roribus post exortas Vergilias gigni solet. Particularis quarundam est impetigo. Verùm ut in hominibus neruorũ extrema cruciatus sæpè obsident, ita & in arboribus: aut enim in

Arborũ uulnera, debilitates & alia.

Arborũ claui & fungi.

Arborũ scabies & impetigo.

Pulchra.

pedes, hoc eſt radices, uis morbi erumpit: aut in articulos hoc eſt cacuminũ digitos, qui longiſsimè à toto corpore exeunt. Priuati generum morbi ſunt peſtis, ceu lues quædam: quæ ſicuti inter certa animalia nonnunquam graſſatur, ita inter certas & priuatas arbores plerunque locum habet. Vnde, modò pyri, modò pomi, modò ceraſi, nunc nuces, aliàs pruni, quandoque perſici, aut amygdali de aliis arborib⁹ ſolę laborare, ſterileſcere, ægrotare, aut vexari obſeruantur. Eſt & articulatio illis perinde atque uitibus, morbus grauis ac pernicioſus, ui tempeſtatum germinibus ablatis, & in ſupinum, ut ſcribit Theophraſtus, excisis: uel culturæ ſeu colendi imperitia læsis. Quæ omnes iniuriæ in articulis ſentiũtur: ex quo articularis morbi, ſeu articulationis nomen. Aegrotant plerunque & colentium culpa, quando ictu iniurioſo à colono uerberantur, aut intempeſtiuè cędũtur, uel ineptè defrondantur: adhæc quando olitor aut arator imprudens radices laxat, corpús ue deſquamat: ut interim ab hebetiore ferro cõtuſionem, ac parum apti inſtrumenti uſum, ipſiúſque coloni imperitam audaciam hîc reticeam: quibus cau-

Arborũ peſtis & lues.

Arborũ articulatio, ceu articularis morbus.

Arborum iniuria à colono.

Arborum labores ac impedimenta à cœlo & aëre.

ſis æſtũ ac frigora difficiliùs tolerant: nam iniuria omnis extrinſecus adueniens, in ulcus facilè penetrat. Peſsimum eſt inter omnia, cùm deflorefcentem arborem percuſsit grãdo: aut imber inuaſit, uel ualidus uẽtus perflauit, aut frigida nebula uel pruina deſcẽdit. Quæ poſtrema omnium perniciofiſsima eſſe ſolet: quoniã lapſa ſemel & admiſſa, obſtinatè hæret, ut alibi docuimus.

Arborũ debilitas.

Debilitas in multis ſterilitatẽ adfert, ſed non necem: ut ſi quis cacumen aut germen auferat: ſic enim ſterileſcunt ſtirpes, licet non emoriantur. Aliquando fructus tantùm laborãt, ſalua & incolumi arbore: maximè ſi neceſſariis & opportunis temporibus, imbres, tepores uel ſalutares afflatus defuerint: aut intempeſtiua frigora, ardorés ue negotiũ fecerint: nam ita decidunt fructus, uel emaciantur, aut flacceſcũt, uel deteriores fiunt.

Arborum uitium aranea.

Eſt & aranea commune arborum uitium & malum: quando tenellũ fœtum ueluti telæ quædam inuoluunt & abſumũt. Sunt culicum genera aliquibus moleſta: qui naſci uidentur ex dulci humore corticibus ſubdito.

Arborũ mala & iniuriæ à beſtiolis.

Erucas, uermes, pulices agreſtes, formicas, cãtharides, limaces & beſtiolas alias hîc prudẽs

omitto. Quarum ea eſt natura, ut detonſam, corroſam & depaſtam arborem aut plãtam turpi facie, quemadmodũ ſcripſit Theophraſtus, & moribundæ ſimili relinquant. Quæ lues humido & lento tepore gigni maximè ſolet. Pix, oleũ & adeps no uellis arborib⁹ inimica eſſe cẽſentur: eſtq; cortex in orbem detractus omnibus mors, excepto ſubere & adrachne: niſi corpus arboris ſimul lędatur, aut profundè incidatur. Similem rationem in multis habet decacuminatio, quæ aut mortem, aut tabem conciliat. Similem & quorundam animalium eroſio ac depaſtio: nam oleam ſi lambat capra ſterileſcere autor eſt M. Varro, ut ſuo loco dicemus. Sunt quæ hac iniuria moriuntur, aliæ deteriores tantùm fiunt. His addo ꝙ arborũ plerǫq; fiſſa ſtirpe, aut trunco ſæpenumero laborant, & quandoq; intereunt: exceptis malo, fico & punica. Radicibus amputatis, omnibus & arboribus & plãtis mors inſtat certiſsima. Cęterũ denſitate & alimenti rapina, ut loquitur Plinius, nonnunquam etiam ægrotant, ac tandem deficiunt. Sic uinciens & præſtringens hędera necat: nec prodeſt uiſcũ, cytiſus, & quod Græci halimon uocant.

Arboribus inimica & mortifera.

Decacuminatio, eroſio ac depaſtio.

Radicũ amputatio omnibus arborib⁹ mors eſſe ſolet.

Lædunt quędam & uicissim læduntur uicinia & succi mistura, ut laurus & raphanus uitem. Hoc de omnibus postremũ sit, Nitrũ, alumen, calida aqua, marina item, & fabæ ac earum putamina, necnon alia multa, libris superioribus scripta, & tum demum scribenda, arboribus ac herbis ultima plerunque solent esse exitia. Superest ut iam dictis arborum morbis, laboribus ac impedimentis, certa remedia, auxilia & præsidia, si non omni, saltem bona ex parte, proferamus: ab antiquis scripta & obseruata, nobis uerò ac amicis nostris confirmata, & plurimum probata.

Notanda de extremis arborum exitiis.

Autoris summa diligẽtia & iuuandi prona uoluntas.

Hortensium arborum ægrotantiũ, aut aliter laborantium, remedia quædam & secreta uniuersalia.

Cap. III.

Didymus in Græcis agriculturæ Pandectis tradit, quòd si ægra fuerit arbor quæuis, illius radicibus affundi debet amurca aquæ remista æqualiter. Plinius summum præsidium esse dicit, fęcem uini, aut aquam lupini decocti circunfundere, uel lupinũ ipsum circa radices serere. Si emaciata fuerit & languida, habitior fiet,

Remedium arboris ægrotantis.

Arbor emaciata & lan-

fiet, si radices circũfossas & item truncum, uetere urina humana, eáq; uirili, uel pecorũ lotio, imbueris: illęsam, & à uitiis arborariis immunem habebis arborẽ quamuis, si bubulo, taurinóue felle, radices illius perfuderis, aut fabarum, uel aliorum leguminum paleis circumpositis, aceribúsue frumenti respersis, easdem radices uestiueris, & regesta terra adiuueris. Si Caniculæ æstu fatigatur arbor, & ob id syderari periclitatur, trium fontium singulos sextarios post Solis occasum radicibus iube influere: sed ita ne remedium Luna deprehendat. Vel herbam symphoniacam (quæ Apuleio eadẽ est cum Apollinari & hyoscyamo) circa truncum arboris, coronæ modo, intorque. Vel ex ea iuxta imum cau dicem cubile facito. Si fuerit syderata arbor, & ueluti tabe ægrotans, unguento delibutam quasi reuiuiscere obseruabis, ut scripsit Græcus Democritus in suis rei rusticæ Commentariis. In quibus etiam admonet arborem ab alitibus nõ impeti, quæ alliorum fasciculum suspensum habuerit: aut falce putatoria allio perlita, expurgata fuerit. Si florũ largo prouentu luxuriando nullum ferat fructum, querno uel fagineo

guida quomodo curetur.

Vt arbor stet illæsa.

Cõtra Caniculæ æstũ & syderationẽ.

Remediũ syderatæ arboris.

Ne aues arborem impetant.

Q

Præſidia arboris infrugiferæ.

palo radicum foramini impacto, & terra occultato, uelut inita fœcundabitur. Proderunt & fabaceæ paleæ, trunco ad radices circuniectæ: quemadmodum ſcripſit Zoroaſtres in ſuis de Agricultura præceptionibus gręcis: in quibus ſuperſtitioſa neſcio quæ pro eadem re adfert, ridenda potiùs quàm docenda. Columella arborem terebrare præcipit, & in foramē uiridem oleaſtri taleam demitti: nam ita arbor uelut inita fœcūdo ſemine fertilior euadet. M. Cato amurcā ęquis partibus cū aqua remiſcendam cenſet: deinde arbori circunfundendam. Quæ ſi maxima erit, commiſti amphora una ſatis erit: ſi minor, pro ratione fundendum erit. Si arbores etiam feraces fuerint, hac miſcellanea meliores quoque fient. Africanus inter Græcos geoponicos celebris, portulacam & tithymalum probè contuſa & miſta, arborum truncis illinebat, ut fœcundiores adoleſcerent: híſq; columbinum fimum nonnunquam addebat. Quæ ſi, ueluti ægrotantes, fructum defluum habebant, nec retinere poterant, Sotion Græcorum hortulanus diligens & peritus, Lolium quod zizaniorum nomine uenit, cum radicibus euul-

Remedia alia arborum parū frugiferarum.

Auxilia arborū habentium fructus defluos.

ſum in coronæ figuram efformabat & arboris trunco circundabat: uel marinos cācros paguros nuncupatos eidem circunligabat: aut plumbea corona amplexabatur. Prætereà, radicem ablaqueabat, eámque perforabat, & cuneū ex corno immittebat, terra circumaggeſta. Quidam nudatas radices aliquot craſsiores ac maiores findunt, & fiſſuræ ſilicis fragmentum immittunt: deinde ligant & accumulata terra rurſus adobruunt. Palladius rubrica aut amurca inſulſa, aquæ remiſta arborem illinit. Vel cancrum fluuialem cum rutæ ramo, aut lupinorum faſciculum eidē ſuſpendit. Hæc ſunt de antiquorum obſeruatione, quæ defluos arborum fructus continere poſſunt. Quibus ſi flores etiam decidere percipiantur, aut folia, hūc in modum auxiliaberis ex Quintilliorum Græcis georgicis. Circunfoſsis radicibus, palearum fabacearum aqua temperatarum & maceratarum menſuram magnam magnæ arbori, paruam uerò paruæ circumpones, & ita defluuio laborantem curabis. Si à vermibus infeſtabitur arbor, de Florentini conſilio ſic illam defendes: Lemniam terram, quam ſigillatam uocāt,

Remedia eā in rem alia.

Arbor quæ deciduos habet flores, uel folia.

Arbor quæ à uermib⁹ infeſtatur.

& origanum cum aqua tere, eaq́ue miſcellanea radices illine, aut ſcillam in circuitu planta. Si uerò piceos paxillos circa arborem defixeris, tabeſcent uermes ac decident. A quibus etiam ſuillum ſtercus uino dilutum illæſam ſeruabit, ſicuti ſcripſit in ſuis Græcis georgicis Didymus, modò illud circa arborem frequenter iniiciatur. Quod etiam præſtare poteſt, columbinum ſtercus, nudatis radicibus circumpoſitũ. Adhæc taurinum fel, iiſdem frequenter ingeſtum: nam ita neque citò ſeneſcet arbor, neque uermes facilè producet. Palladius fęces ueteris uini per triduum affundit. Auxilia aduerſus arboreas formicas, erucas, muſcas, & beſtiolas alias, larga & liberali manu tibi protulimus libro primo: quem ubi uoles, & quoties opus erit, conſulere poteris. Supereſt, ut reliqua ſuo ordine particulatim expediam.

Ne uermes producat arbor.

Multa ex primo libro huc proferẽda.

Arboris mali eiúſque pomi cura, auxilia, & ſecreta. Cap. IIII.

MAlus arbor eſt lippis, quod dicunt, & tonſoribus cognita: quæ pingue ac lætum ſolum deſiderat: & cui

humorem non tam rigatio, quàm natura suppeditet, ut scribit Palladius. Quòd si arenosum, uel argillosum fuerit, rigationibus iuuabitur. Potest etiam macro & arido solo prouenire (in quo poma dabit uermiculosa & caduca) frigido itidem & humecto, si cœli tepor adfuerit. Stercus ouillum non tantùm exigit, sed & libenter assumit, etiam si pulueres cineris misceantur. Aptissima est ei putatio, ut arida & malè nata tollantur, cùm illi uita sit alioquin breuissima: sed ut citò cadit, ita uelociter crescit: quæ quò annosior fuerit, eò deteriorem, minorémque ac uermiculosiorem fructum feret. Siccitatibus uespere rigari appetit quotidie: unde quòd potu indigeat hęc arbor, hinc illius fœtus poma dici putat Marc. Terent. Varro in suis de agricultura pręceptionibus & Commentariis. Tentatur quandoque syderatione & uredine, his præsertim locis quæ à uenti flatu silent: sed omnium maximè uermiculationem sentit, hoc est uermium erosionem. A quibus immunis erit, si, ut pręcedenti capite scribebamus, scilla circumposita fuerit. Quos si hęreditarios habuerit, felle bubulo, uel suillo stercore mi-

Malus quale solũ deside-ret.

Poma uermi culosa.

Putatio malis aptissima.

Rigatio ęstate malis utilis.

Syderatione & uredine tẽtatur malus.

Remedia aduersus uermiculationẽ.

ſto humanæ urinæ, & radicibus affuſo extinguentur, ſicuti ante Palladium Anatolius Græcus in ſuis ruſticæ diſciplinæ prȩceptis diligenter adnotauit. Nec temerè, mea ſententia: nam hæc arbor mirum in modum lotio recreatur: cuius rigatu crebro iuuari certum eſt. Si uerò negotium exhibere perrexerint, cortex æreo clauo, uel ſcalpro, ut Palladius legit, fodicandus erit, atque uellicandus, donec mucrone uermes tacti radantur & deturbentur: ſed ulceratum locum bubulo ſtercore obducere licebit. Porrò, ſi generoſiſsimæ quæque malorum plantulȩ, taurino felle radicibus admoto, ita ſcrobibus imponantur, ut cacumen tantùm ſuper terrã extet, à uermibus immunes prorſus erunt, cùm fructibus qui inde naſcentur, eodem Anatolio autore. Qui etiam morbos quoſuis ȩgrotantis mali curat ſtercore aſinino aqua macerato, & ſex diebus, occiduo Sole, ad radices irrigato: ídque frequenter & per interualla donec germen erumpat. Si fructum multum eam parere cupis, & ſobolem numeroſam proferre, ſectũ plumbei tubi ſeu canalis os patulum, ſic ut circulũ ducat, caudici altitudine pedis à terra

Pulchrȩ machinæ pro abigẽdis uermibus ab arbore mali.

Remedia ægrotantis mali.

Vt malus ſobolem proferat numeroſam.

circunducito: & cùm mala cœperint adolescere, uel arbor ipsa florescere, torquem illum & circulum eximito: ídque quotannis facito, ut fœcũditatem arbor cõcipiat. Cętterũ, quia pomiferis arboribus, uti etiã aliis, frequẽter usu euenire solet, ut degrauatę fœtuũ põdere, laborare uideãtur, adeò ut nonnunquam rũpantur incuruati rami (sicuti hoc disticho adnotauit Ouidius,

Aspice curuatos pomorum pondere ramos
Vt sua quod peperit, uix ferat arbor onus.)

Ne pomifera arbor rumpatur pondere grauata.

furcis suppositis oneri impares fulciẽdę erunt. Quod in nucis historia non prætermisit idem Ouidius:

Pomáque læsissent matrem (inquit) nisi subdita ramo,
Longa laboranti furca tulisset opem.

Africanus Græcus in suis georgicis scriptũ reliquit modum, quo uel humanam, uel animalis aut rei alterius imaginem induet malũ in sua adhuc arbore pendens, uel pomũ aliud quoduis. Gypso (inquit) aut figulari luto quãcunq; uoles insculptam imaginem tege: & in duas parteis apto instrumento, ea industria seca, ut iterum illę ritè coniungi posśint ac cõmitti. Deinde in figlina excoque: cúmq; malũ ad dimidium peculiaris incremẽti peruenerit, hisce formulis include, ualidísq; uinculis firmiter

Vt malũ aut pomũ aliud imaginem quamuis referat.

obſtringe, ne fictiles typi diuellãtur auctu obuoluti mali. Quod ubi capacitatẽ illorũ expleuerit, tales animaliũ figuras repręſentabit, quorũ & habitũ & imaginẽ ibidem mẽtiri uiſum tibi fuit. Quæ res ĩ effigiẽdis malis nõ ſolùm locũ habebit, ſed etiam in pyris, cotoneis, perſicis, citriis, punicis, aurantiis, limoniis & reliquis pomorũ generibus. Quod hîc ſemel dictum uelim: ne dum per uarias pomorũ claſſes ſpatiabor, illud identidẽ moleſtè repetere cogar. Verumenimuero oportet uaſi & fictilibus typis perſpirationem aliquã relinquere: hoc eſt foraminula imprimere, quibus aërem admittãt & emittãt: alioquin putrefactioni facilis parabitur uia: licet multi aliter ſentiãt. Si dulcia mala fieri deſideras ſtercus caprinũ urina humana diſſolutũ cum ueteris uini fęce radicibus infunde. Si imputria habere uoles, felle uiridis lacertæ inungatur caudex: erit & hoc aduerſus formicas remedium præſtantiſsimum. Si caduca fuerint mala, fiſſæ radici lapis impactus, illa retinebit. Quæ ſi ramos ſpiſsiùs onerabunt, ut diſrumpi periclitentur, interlegenda erunt, quę uitioſa uidebuntur: ut generoſa copioſiore alimento gaudẽtia,

Autori moleſta ubique repetitio.

Vt dulcia fiãt mala: adhæc imputria.

Vt mala non ſint caduca, & onere non rumpatur arbor.

maiori incremento luxurient, uitiosis alimoniam ampliùs non surripientibus: aut furcis adiuuanda erit arbor, ut anteà diximus. Quæ si imbres metuet, Solis exortum spectare debebit, Plinio autore, ut eos Sol statim diripiat ac resiccet.

Si tibi sit curæ grandeis educere fœtus,
Et patulas implere manus: age, decute ramis
Crescentem sobolem, è multis ut pauca supersint
Poma: sed et maiora loco, & magis auspice nota.
Vberiore etenim succo lætabitur hæres
Fraterni lactis, uacua dominator in aula.

Vt grãdes fœtus producat arbor mali.

Quod unum deinceps ad reliqua pomorũ & nucum genera, prudenter etiam accommodare tibi licebit: ut à crebris repetitionibus, quas semper habui molestas, opportunè me liberes. Si rubra poma nasci desideras, arbor urinæ humanæ rigatu satietur, quemadmodum scripsit Berytius in suis de rebus agri præceptis. Non desunt qui rosas puniceo colore rubenteis sub arbore mali undique serant, & ita rubra mala fieri promittant. Alij palos in terram defigunt, hísque pomiferos ramos citra vulnus incuruatos alligant: & iuxta illos uasa uel scrobiculos factos aqua implent: satagentes ut meridie solaris radius in aquam illabens calidum uaporem euocet, qui refractu

Vt rubra fiãt mala.

Pulchra & notatu digna.

in fructus resiliens, ex calore rubrum colorem eis conciliet. Qui re uera absque ullo mangonio & artificio his partibus maximè solet inesse, quæ Phœbum recta intuentur & meliore diei parte illum excipiunt. Nõnullis sanguineus color peculiaris inest, tracta origine ex mori insitu. De malorũ nomenclatura, omnibus ferè nationibus uaria, uarióque insitionum adulterio, hîc nihil à me expectabis. Omnia seminis nigrore maturitatem fatentur: súntque legenda circa autumnale ęquinoctiũ: pro cœli, soli, & arboris cuiusq; natura: nec ante XV. Lunam, ut scribit Plinius: ídque cauta manu, ne contusione, aut vulnere aliquo lædantur: separatis cadiuis, putrescẽtibus ac uerminculosis, à præstantibus & generosis. Seruabuntur optimè tabulatis extra fumum & graueolentiam in loco frigido & septẽtrionalibus fenestris aperto: quę sereno die patenteis lucem accipere debent, exclusis austris: nam aquilonibus multò nocentiores fructibus esse solẽt: à quibus poma quęque rugis deturpari certum est. Seruantur præterea in frigido & arido loco supra paleas, ut scribit M. Varro. Ideo qui oporothecas faciũt, ad aquilonẽ ut fenestras ha-

Quando matura dici debeant mala: & quo tẽpore decerpenda.

Quomodo seruanda & reponenda mala.

Loca apta seruãdis malis.

beant & aëre perflentur ſummè curare debẽt. Plinius foliis ficulneis ſingula, præterquã cadiua & uitiata cõuolui iubet: ciſtíſq; uitilibus condi, uel creta figlinarum illini. Apuleius Græcus in ſuis geoponicôn præceptis, adhæc Columella, Plinius, Palladius & alij rei agrarię doctores, eam in rem multa poſteritatis memorię diligenter mãdauerunt. Ex quorum Commentariis ſequentia tibi libentiſsimè ſelegimus. In olla fictili cera interius inducta, & bene operta, multi innocenter poma cuſtodiunt. Sunt qui creta aut figulina terra ſingula incruſtent, ſiccent, ac ita reponant. Seruantur etiam integra, uegeta & longo tempore incolumia ſubſtratis nucum foliis non caducis: quibus & odori & colori perquàm bellè conſulitur. Quod melius cedet ſi foliis ipſis conuoluantur, & foliatis nucum frondibus tegantur. Multi arculas ſingulis pomis aſsignant. Alij in tabulis ſuppoſita palea diſponunt, & ſtramentis ſuperiori parte operiunt: ac ita componunt ut limites peruij ſpiritũ æqualem accipiant. Palladius in locis obſcuris, ubi uentus non ſit, ſtramentis priùs in crate ſubiectis, cumulatim ſecreta diſponit, & cumulos frequen

Modi uarij cuſtodiẽdorum & reponendorũ malorum.

Modus facilis & popularis.

Ingeniosus modus & paratu facilis.

ti diuisione separat. Custodiũtur etiam uitigineis foliis singillatim obuoluta, & luto uel argilla candida illita, ac Soli quoad crustam duret, commissa: talia enim permanent, qualia concluduntur. Aliter canistris uel uimineis cistis componuntur, & mundo tomento uestiuntur. Sunt qui solos pediculos figlina terra muniant. Plerique in puteo uel cisterna fictilia uasa mergunt: quibus diligenter picatis & clausis, mala committuntur. Nonnulli pediculis feruẽti pice demersis, supra tabulatum ex ordine disponunt. Hyberna seminibus, pręsertim hordei, ut vuæ conduntur. Seruantur etiam optimè hoc modo: Accipe uas fictile non picatũ & in fundo perforatũ, quod ad fauces usque incolumibus & generosis pomis manu collectis exple, & pyxacãtha, uel myacantha, ut Græci habent codices, aut quouis alio, uasis spiracula diligenter obtura, & in qua uolueris arbore suspende, ac per totum hyemem ibi esse permitte: talia inuenientur qualia fuerũt cõdita. Quod experiẽtia certa fatetur se didicisse Apuleius Græcus: tradens ea etiam durare musti doliis immersa, clausa & à fæce seruata. Quo etiam modo uinum ipsum, uiníque

Pulchrũ inuentum.

Vt mala talia inueniantur, qualia fuerũt condita & reposita.

Mala à uino

ſuauitatem miraculo quodam conſeruant. Sed id ad mala cydonia propriè attinere, ut pleraque alia hîc ſcripta, ſuo dicemus loco. Conduntur & ollis fictilibus in uini dolium demerſis, ita ut ei innatēt, & dolium oblinatur. Non putreſcent ſi herba uirentis ſatyrij illita fuerint cacumina. Palladius Neapolitanus rotunda mala quæ orbiculata dicuntur, ſine cura toto anno ſeruari poſſe ait. Plerique ſcobem populi, uel abietis inter poma diffundunt: quę ſic ponēda eſſe conſtat, ut floſculi ſurſum, & pediculi deorſum ſpectent: nec ante uſum neceſſarium attingantur. Sed illud in totum præcipiendum duxi, nullum eſſe pomi genus, quod non poſsit melle ſeruari. Itaq; cùm ſit hæc res interdum ægrotantibus ſalutaris, cenſeo uel pauca poma in melle cuſtodiri, ſed ſeparata generatim: nam ſi commiſceas, alterum genus ab altero corrumpetur. Sūt alia cuſtodiendi ſecreta, quæ in cydoniis ſeu cotoneis malis exprimentur, adhæc in pyris, & omnium maximè in punicis, citriis & aliis. Quod tantiſper dum expectas, ex Plutarcho admonere ſuperuacaneum eſſe non putaui, mala geſtantibus dorſuariis iumentis tam grauia eſſe (etiam ſi pau-

ſeruata & uinum ſeruantia.

Vt mala non putreſcant, & incolumia diu cuſtodiantur.

Pomi genus omne optimè ſeruari melle.

Iumenta dorſuaria portādis malis ſudare & ſuccumbere.

ca portent) ut oneri, uiribus alioquin non impari, ſuccumbant, ac ſudando deficiant: ſolo odore, ut Latinus putat Apuleius, adeò illa offendente, ut animo linquantur. Quod ad cydonia ſummè odorata an potiùs referendũ ſit, faciat experientia fidem. Remedium præſentiſsimum eſt oblatus panis: quem ſi uorarint, ut ſcribit Plinius, ſeſe protinus recolligunt. Vitabitur id periculi ſi aliquot prius edenda, uel conſpicienda odorandáque illis exhibeantur. Ex acerbis & ſylueſtribus malis præſtantiſsimũ omphaciũ prælo uel truſatilibus molis exprimi poteſt: adhæc acetum in hunc modum. Per triduum mala in cumulo ſeruantur, deinde mittuntur in cadum, cui fontana aut pluuialis aqua miſcetur: ac opertũ uas per triginta dies ſinitur, & ſubinde quantũ fuerit aceti ſublatum ad uſus, tantùm redditur aquæ ad reparationem. Vinum quoque factitare ſolẽt multi ex generoſis & domeſticis malis, quod citream vulgò nuncupant. Eidem prælo, uel truſatilibus molis, tortiuum ius exprimitur: deinde rurſus ſecundarium, fracibus & retrimentis in aqua maceratis, ita ut pomea lora dici poſsit: nõ parui momẽti ad reſtinguendam ſitim ru-

Quomodo ex malis fiat omphacium & acetum.

Quomodo fiat uinũ ex generoſis malis.

ſticorũ per meſſes & fœniſecia. Quod mirum eſſe non debet: nam pomis, pyríſque ineſt uini proprietas, quemadmodum ſcripſit Plinius: similitérque ægris medentes cauent: ac uino & aqua coquuntur, atque pulmentarij uicem implent. Priuſquã hinc abeam, alienũ (ut opinor) non erit commemorare, quòd multi ſequenti experimento deprehendunt an aquis uinũ fuerit infuſcatum, ut Plautino utar uocabulo. Malum in uas iniiciunt, aut pyrum ſylueſtre, & ſi quidem ſupernatauerit, uinũ eſſe purum ſignificat: ſi uerò mergatur, aquam habere. Sed hoc ad noſtra uinorum ſecreta transferendum erat.

Notanda diligẽter & obſeruanda.

An uino inſit aqua experimentum pulchrum.

Medica.

Diphilus Græcus agricola & medicus tradit mala quæ nondũ maturitatem attigerunt, noxium ſuccum parere, bilémque ac morbos excitare, & horroris cauſas promouere. Quæ uerò maturitatem aſſecuta ſunt melioris ſucci eſſe, quòd facilè aluo excernantur ob minorem acerbitatem. Acida improbum gignunt humorem & magis ſubſtringunt. Atque ut rem iſtam diffuſam paucis colligam, malis uti debemus pro uincẽtium ſaporum facultatibus.

Quid matura & immatura mala in nobis agant.

Saporum facultates ĩ pomis, & rebus aliis, cũ usu cuiusque.

Austeris, cùm uentriculus uel propter calidam intemperiem, uel ob multam humiditatẽ imbecillus fuerit. Acerbis, cùm hæc multùm aucta uidebis. Acidis, cùm crassum succum, qui non magnopere frigidus sit, in ipso collectum suspicaberis. Si quidem frigidus succus non acida, sed acria postulat. Vtraque certè & acida & acria succos crassos incidunt: sed in eo differunt, quòd hæc cum calfactione, illa cum refrigeratione id moliuntur. Quæ in hyemem, uer & æstatem optimè seruata fuerint mala, ea morbis sæpenumero perquàm utilia esse solent: farina aqua subacta circumlita & clibano incocta, aut calidis cinerib⁹ mediocriter assata, uel in aquæ bullientis uapore percocta. Dare autem conueniet statim post cibum: aliquando etiam cum pane ad uentrem & stomachum roborandũ, his qui cibum fastidiunt, ac tardè concoquunt: quíque uomitu, diarrhœa ac dysenteria infestantur. In quem usum apta sunt acerba: nam parata, ut modò dixi, mediocrem retinent astrictionem.

Mala quæ ætaté tulerunt utilia.

Quando exhibéda ægrotantibus cocta mala.

Vomit⁹, diarrhœa ac dysenteria.

Arboris Pyri, eiúsq; pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. V.

Pyrus

PYrus frigidis, humidis ac uberibus locis summè gaudet: quemadmodum scribit Diophanes, rei agrariæ apud Græcos doctor insignis. Gaudet etiã planis, in quibus lætior educatur. Palladius tale solum ei destinat, quale uinetis cõuenit: nimirum lætum & non impeditum. Prouenit hæc arbor semine, planta & insitione. Quod tamen interest, sicuti post Pliniũ idem adnotat Palladius. Nam si quis pyrorum semen spargat, nasci quidem necesse est, natura originem suam refouente: cuius æternitati nulla tarditas potest adferre fastidium. Sed homini, cui Hippocrate teste, uita breuis esse solet, hoc expectare longum est: cùm & serò ita ueniant fructus, & à generis sui nobilitate decedant. Quæ sua planta seritur arbor, dulcedinem ac teneritatem retinet, diu tamen seruata non durat. Quæ insitione comparatur, moram ætatis sustinet. Crebris fossionibus, & humore frequenti pyrum gaudere, autor est Palladius: nam ita uegetior euadit, ac meliùs proficit: usqueadeò, ut tempore quo florere cõsueuit nihil de prolato flore depereat, si eam tunc fossor adiuuerit. Primos fructus, Plinio autore, fa-

Quibus locis gaudeat pyrus.

Quibus modis proueniat pyrus.

Pyrus sata quid distet ab insita.

Sũmè notanda pro florente & deflorẽte pyro.

cilè perdit, ſi cùm defloruerit, uel in florem defatiſcit, protinus ſequantur imbres, aut nubilum fiat, auſtrinúm ue cœlum. Iuuabis plurimum ſi interiecto anno qualelibet lætamen ei adiungas. Sed bubulum ſpiſſa & grauia poma, ut loquitur Palladius, creare ſolet. Sunt qui cinerem miſceant, hinc exiſtimantes pyris argutiores ſapores contrahi. Non duxi omittẽdum, quòd pyro uita breuior eſſe ſolet, quàm pyraſtro: quæ pyrus fieri recuſat, & ſi ex uitiata pyro bene naſcatur, ut tradit Theophraſtus. Si ſterilis fuerit pyrus & languida, fœcũdabitur eo artificio quod ſuperius expreſsimus. Plerique ubi adoleuerit arbuſcula, altè ſolent ablaqueare, ex Columellæ præcepto, & iuxta radicem truncũ findere, ac fiſſuræ cuneũ tædæ pineæ, aut ex fago uel quercu, ut vult Palladius, adigere, atque ita obruere. Si lapidoſos fructus emittit, iubet Quintilliorum agricultura arborem ad imas uſque radices retegi, & quicquid lapidoſum inuenietur, ſecerni ac excludi: altera terra cribro excreta, alterius loco ſuffuſa, & addito ſtercore repoſita. Quod ſummè proderit, ſi rigare non ceſſaueris. Si dulciora & co-

De ſtercore pyris apto.

Remedium ſterilis pyri.

Ne lapidoſos fruct⁹ pariat pyrus.

piosiora pyra arborem tibi exhibere uoles, trunco proximè radicem terebrato, cuneum ex fago, uel quercu, ut longè antè Palladium scripsit Græcus Diophanes, defiges, aut uini fæcem nudatis radicibus instillabis. Si dum floret ægrotabit, curabis fæce uini ueteris affusa radicibus ablaqueatis, per triduum: regesta tum demum terra. Si à uermibus infestentur arbor & fructus, radicibus felle bubulo, uel taurino frequenter imbutis & perunctis, morientur omnes, ac in posterum gigni prohibebuntur. Sunt alia arboris huius auxilia & secreta, ex præcedentibus capitibus, & sequentibus eruenda, ne sim repetendo molestus. Moro insita, rubicunda pyra feret, ut Tarentinus tradit. Modum effigiandi pyri in quas uolueris formas, requires ex præcedenti capite & sequentibus. Sed de parente arbore satis: superest ut eius sobolem aggrediamur: quæ hodie apud nos usqueadeò creuit, & tot insitionum adulteratis coniugiis tam fœcunda ac multiplex euasit, ut singillatim persequi, sanè quàm difficile putem. Quò fit, ut ad pyrorum condituram, repositionem & custodiam me conferre cogar. Legenda

Vt pyrus copiosũ & dulcẽ ferat fructum.

Remedium ægrotãtis pyri ĩ flore, aut à uermibus infestatæ.

Pyra quomodo fiant rubicunda & effigiata.

Quando & quomodo legenda ac custodienda pyra.

ſunt pyra eo modo quo mala, eáq; methodo, nimirum die ſereno, & blanda manu ne vulnerentur, caducis & uitiatis, à ſanis & integris ſecluſis, decreſcēte Luna, & uegeto Solis calore. Quod ubi factum erit, in picato uaſe diligenter includentur: cuius os deorſum reclinabitur, atque breui ſcrobe eo loco obruetur circa quem perennis aqua decurret. Hoc Palladij eſt cōſilium & præceptum. Democritus optimè ſeruari affirmat, ſi illitis pice ſurculis uel pediculis ſuſpendantur. Alij ſapa, uel paſſo, aut dulci uino merſa, uaſis plenis cuſtodiunt. Sunt qui inter ſcobes obruant. Pleriq; ſiccatis frondibus iuglandis inuoluta reponunt. Nonnulli in uinaceis diſcreta, ne ſe contingant, ſepeliunt. Ruſtici inter paleas aut frumēta ſeruant. Alij ſtatim lecta cum tenacibus ſuis, ut loquitur Palladius, picatis urceis condunt, & oribus uaſculorum gypſo uel pice clauſis, ſub diuo obruta, ſabuló ue tegunt. Seruantur omniū optimè: ut reliqui fructus, melle: modò non ſe contingant. Fit uinum è pyris, perinde atque ex malis: quod noſtrates pyraceum nuncupant. Cuius modum require ex præcedenti capite, & alia pleraque huic

Varij modi reponendorum pyrorū.

Notāda pro cuſtodiendis pyris.

Vinum pyraceum.

pyrorum hiſtoriæ ualde affinia & conſentanea.

Medica.

QVæ de malis paulò antè ſcripſimus, ſi ad pyra transferantur, nihil nouo ſermone opus erit. Nam in his quoque alia auſtera ſunt, alia acerba, quædam acida, nonnulla dulcia, & multa denique ex horum miſtione compoſita. Sunt quæ nullam inſignem qualitatem & exuperantem præ ſe ferant: quò fit ut cùm aquea ſint, & hebetia, nulla roborandi ui polleant. Talis itaque pyrorum uſus erit, qualis malorum, ut præclarè ſcripſit Galenus: qui aquoſam dulcedinem omnibus ferè tribuit cum lenta acerbitate, quod inæquale temperamentum arguit: & ob id à cibo ſumpta pyra conferre ſtomacho tradunt: præſumpta uerò aluum ſubſtringere. Sanè pyrorum omnium crudorum uſus, etiam ualentibus oneroſus eſſe ſolet, & maximè ieiunis: decocta multò ſalubriora cenſentur. Sunt qui diuiſa & granis purgata ſiccent Sole uel clibano: híſque per hyemem & Ichthyophagiam, uino uel aqua maceratis & decoctis, iucundè ueſcãtur. Pyrorum genera omnia adſtringẽtia,

De pyrorum qualitatibus.

In pyris temperamentum eſſe inæquale, & illorum uſum ieiunis oneroſum.

usum habent accommodum repellentibus cataplasmatis. Aduersantur etiam boletis & fungis, pellúntque pondere, pugnante succo. Hoc erit postremũ. Pyra uel pauca iumentis portata, ut nuper de malis dicebamus, grauia esse solẽt. Remedio esse putant aliquot illis manducata, uel præostensa. Autores sunt Plinius & Plutarchus.

Cataplasmata, boleti & fungi.

Res mira & notanda.

Arboris Coroneæ seu Cydoniæ, ac eius pomi cura, auxilia, & secreta.

Cap. VI.

ARborem hanc à M. Catone Coroneã appellatam fuisse tradunt, ac si diceres Catoneam: cùm à Græcis longè antè Cydonia uocaretur, à Cydone Cretę oppido, unde primùm aduecta fuit. Amat locũ frigidum & humectum, ut tradit Palladius. Quæ si in tepido statuatur, rigatione opus habet. Sunt qui scribant illam statum mediocris situs inter naturam frigoris & caloris libenter ferre, & in locis tam planis, quàm decliuibus facilè educari: quanquam inclinata & deuexa magis desiderat. Dum ponitur, si minor est, stercore iuuari debet: si maior, cinere uel cretæ puluere, semel toto anno radicibus immisso. Rigãda est, Paxamo autore, quoties cœlestis nega-

Cotonea arbor unde dicta.

Locus arbori cotoneę apt⁹.

Stercus & rigatio cotoneæ, adhæc fossio.

tur infuſio. Nam ſic poma ſua citò matura & maiora dabit. Licebit etiam idoneis tem poribus illam circũfodere: aliàs ſterileſcet, aut ingenium mutabit. Sic uerò in ſuo cotoneto diſponetur, ne altera quatiente uento, ſtillicidium alterius tangat, & combibat. Pomi illius figura ſimpliciter exprimi nequit, quoniam cotoneorũ alia inciſuris criſpantur, colore ad aurum uergente: ex quo Græcis chryſomela, & Virgilio aurea mala, ut multis placet, dicta ſunt. Alia cãdidiora uidentur, odoris præſtantiſsimi. Alia ſtruthea nuncupantur, ſerotino prouentu maiora, & neſcio quid odoratius reliquis uibrantia. Habentur prętereà ſyluestria, parua & in ſepibus plurimùm naſcẽtia. Quotquot ſunt, tenui lanugine omnia pubeſcunt, & fragranti odore caput feriũt. Democritus in ſuis Georgicis græcis promittit cotonea cuiuſq; animantis effigiem repræſentatura, ſi in formatis fictilibus, aut inſculptis uaſculis adoleſcant: ea methodo quam in malorum hiſtoria præſcripſimus. Si ægra fuerit arbor cotoneorũ, amurca æqualiter aquæ remiſta, radicibus affundatur. Aut calx uiua cũ creta & aqua temperetur, arboríſq; trunco illinatur. Si ſterilis

Cotoneorũ figuræ uariæ.

Quomodo effigiata fiãt cotonea.

Remedium pro ægra aut ſterili arbore cotonei, uel aliter laborãte.

fuerit, infœcunda, uermiculoſa, lapidoſa, aut aliter laborans, recurre ad ea quæ ſuperiùs tam generali, quàm particulari præcepto ſcripſimus. Nam pudet toties eandem, quod dicunt, incudem tundere. Ad conditaram itaque, & repoſitionem, cuſtodiámque cotoneorum uenio. Quam ex priſcis Græcorum geoponicis & Latinis rei ruſticæ doctoribus, M. Varrone, Columella, Plinio, Palladio & aliis excerptam ſic habe, & auſculta. Imprimis cotonea quàm maturiſsima & integerrima, ſine macula, ſereno cœlo ac decreſcente Luna colligere debes: & in lagena noua quæ ſit patētiſsimi oris, deterſa qua caneſcunt lanuginæ, laxè ac leniter componere, ne collidi poſsint. Deinde cùm ad fauces uſque fuerint compoſita, uimineis ſurculis aut circulis ſic erunt arctanda, ut modicè premantur, ne cùm humore fuerint imbuta, ſuſtollantur. Tum quàm optimo & liquidiſsimo melle uas uſq; ad ſummũ ita replebitur, ut pomũ quoduis ibi ſubmerſum uideatur. Sed ſummopere tibi cauendũ erit, ne immaturum illud & crudũ reponas, alioquin ita indureſcet, ut uſui eſſe nõ poſsit. Audio nõnullos cotonea oſſeo aut ligneo cultro (ꝙ ferrũ

Autori moleſta repetitio.

Quomodo legēda & ſeruanda cotonea.

Pulchra & notatu digna.

Admonitio non aſpernēda.

metuāt) aperire priusquam melli seruanda committant: adhæc semina eximere, à quibus pomum uitiari putant. Res ridenda potiùs quàm audienda. Nam ea mellis est natura, ut uitia coerceat, nec serpere patiatur. Qua ex causa etiam exanimũ corpus hominis per annos plures innoxiũ seruat. Hæc ratio non solùm cotonea custodit, sed etiam liquorem mellei & cotonei saporis exhibet, qui sine noxa potest interdum dari febricitantibus, & melomeli nũcupatur. Democritus lecta cotonea doliis musti ad fęcem usque mergebat, atque ita claudebat, uinum hinc odoratius reddi promittens. Alij in nouam ollam dolio uini innatantem illa recondunt, & dolium oblinunt. Sunt qui foliis fici obuoluta custodiant. Plerique stupis, tomentó ue mũdo uestita, in cistis concinnāt & disponũt. Multi in scobe, uel milio, hordeo, aut auena longo tempore incorrupta seruant. Sed in ea domo nec sunt condenda, nec reponenda ubi reliqui fructus fugaces, uel alij quique tenelli custodiri solent. Nam illos suo acerrimo odore uitiant ac labefactāt: omniúmque maximè vuas in uicino situ iacentes. M. Cato in loco frigido & arido

Mel putredini resistere & uitia quæque coercere.

Varij modi custodiēdorũ cotoneorum.

Summè notanda & obseruanda.

ſupra paleas rectè ſeruari putat, quemadmodum de malis diximus, quorum cuſtodia cùm cotoneis annuit & conſpirat in multis. Non deſunt qui fici, aut nucis foliis inuoluta ſeruent. Alij creta figulina illinunt, ſiccatáque in Sole ſuſpendunt, & dũ uſus poſtulauerit, cretam diluunt. Pleríque arculis ligneis ſeparatim includunt, & in tabulato, ſiccisſimo ac frigidisſimo loco, vbi neque fumus, neq; teter ſit odor collocant: ita ut floſculi ſurſum pediculi uerò deorſum ſpectent, nec alterum ab altero corrumpatur: deinde ſcobe populnea, uel abiegna interpoſita, luto paleato opercula munita ſuperponunt, ne introire poſſit ſpiritus. Hæc ex antiquorum penu deprompta fuſiùs perſequi uoluimus, quòd aliorum pomorum cuſtodiis maxima ex parte accommodari posſint. Sed penè hîc præterieram cydonitem ſeu cydoniatum, quod fieri ſolet decoctis cotoneis ex ſaccharo ſimpliciter, uel additis caryophyllis & cinnamomo, deinde expresſis & aſſeruatis. Fit etiam uinum ex his tuſis, & torculari, uel molis truſatilibus expresſis: cui nonnihil mellis addi debet, alioquin celeriter acore uitiatur.

Alij modi ſeruandorũ cotoneorum.

Quomodo fiat cydoniatum.

Vinũ cydoniatum.

Medica.

PLutarchus memoriæ prodidit, adnotante Ruellio, cotonea mala ſuo præſtanti odore lethalium uenenorum uires retundere, eorúmq; uehementiam hebetare. Addit, pharicũ, præſens alioquin uenenum, in patinam adhuc cydonium uel eius ſalgamum olentem, ignauum fuiſſe ac elanguidum: necnõ à peculiari natura ſua uiribus exhauſtis defeciſſe: ac incolumes & illæſos euaſiſſe, quos inſidiãtes ueneſici potionarant. Idque tandem compertum fuiſſe eorum relatu, qui uenenum uẽdentes rem ita habere deprehenderũt. Cœliacis cruda cotonea proſunt, adhæc dyſentericis, orthopnoicis, cholericis, & purulentum excreantibus. Hîc non omittam quòd oris gratiã & halitũ ſummè commẽdant: unde Solon, ut ſcribit Plutarchus, uxoribus præcipiebat, non ire cum maritis cubitum, niſi cydonio malo priùs deguſtato. Maceratorum humor, ſtomachi atque alui fluxionibus opitulatur. Quæ cruda in melle condiuntur, urinas mouent: mel autem eorum naturam induit: quippe quod aſtringendi, conſpiſſandíq; uim imbibat. Quæ uerò cocta melle cõdiũtur, ſtomacho

Cotonea ſuo odore uenenorum uires obtundere.

Pulchra & notanda.

Cœliaci, dyſenterici, orthopnoici, cholerici & purulenti.

Solonis præceptum pulchrum.

Alui profluuium, uētriculus & uomitiones.

utilia ſunt, & guſtu iucunda, ſed conſtringēdi uim perdūt. Cotonea cruda in cataplaſmatis, aluum ſi profluat retinent, & uentriculum ſi in uomitiones effundatur, uel ardore conflagret, roborāt ac firmant. Simeon Seti in libro quem de cibariis ſcripſit, tradit cotonea in ædes parturiētis perlata, uel ibi latentia, partum remorari, ac difficilē & laborioſum efficere. Quibus ſi prægnans crebrius uſa fuerit, fœtum pariet ingenioſum.

Partum remorantia, & laborioſum reddentia.

Arboris Pruni ac eius pomi cura, auxilia & ſecreta Cap. VII.

Quo ſolo gaudeat Prunus, & quomodo poma uermiculoſa non gignat.

PRunus læto & humido ſolo gaudet, optiméque adoleſcit tepido cœlo: cùm tamen & frigidum poſsit ſuſtinere, quemadmodum ſcripſit Palladius. Si in locis glareoſis & lapidoſis iuuetur lætamine, caduca pruna & uermiculoſa non gignet. Seri poteſt oſsiculo in putri & ſubacto ſolo, modò duobus palmis altè obruatur. Ponitur etiam planta ſumpta ex caudice, radicibus fimo oblitis. Iuuatur frequenti humore, & aſsidua foſsione. Sed quæ Damaſcena uocatur, ſicca terra & aëre calido lætatur, ut ſcribit Pamphilus Græcus in ſuis

Quomodo ſerenda prunus.

georgicis. Si languida fuerit & minùs ferax, amurca æqualiter cum aqua temperata radicibus infundi debet. Vel bubulum lotium ſolum, aut humanum, idque uetus, miſtum æquis partibus cum aqua. Vel cineres è furno, maximè ſarmentorum, vt ex Græcorum geoponicis teſtatum uoluit Palladius. Eadem arbor ſi à uermibus aut formicis infeſtatur, rubrica & pice liquida illini debet. Quod modeſtiùs tentandum erit, ne idem efficiat remedium, quod uenenum. Alia auxilia ex ſuperioribus tibi petenda, hîc mihi ſunt tacenda, ut reliquis ex ordine ſuum concedam locum. Ab arbore itaque, ad fructum deſcendo, quem abſque oſsiculis tibi comparabis, ſi tenellã arborem ad binos pedes reciſam uſque ad radicem findas, abraſaq; & excauata ſcalpro utriuſque partis medulla, cõfeſtim ſeiunctas parteis uinculo conſtringas, ſuperiorémq; partem ac diuiſuras laterum fimo, uel argilla, cerá ue obducas, ac charta madida munias: elapſo anno obfirmata cicatrice omnia coaluiſſe perſpicies. Hanc deinde arborem ſurculis qui fructum non tulerũt inſeres, & ſine oſsiculis poma proferet: ſiue illa fuerint pruna, ſiue ceraſia,

Remedium lãguidæ pruni & minùs feracis.

Remediũ cõtra uermes & formicas prunum infeſtãtes.

Vt naſcantur pruna ſine oſſiculis.

persica, mespila, palmulæ, lapidosá uc corna. Prunorum differentiæ apud nos esse solent innumeræ, & ferè inexplicabiles. Nã ex his alia reperiũtur herbaceo colore perfusa: alia rubro, semirubro, eburneo, luteo, pupureo, nigro, cœruleo, ac uariegato. Quædam prætereà uidentur magna, quædam parua, & quædam mediocria. Dulcia nonnulla, alia acida, uinosa, dura, mollia, rotunda, ouata, uel oblonga. Quæ omnia post Catonem cœpisse scribit Plinius. Habentur & nucibus insita, quæ faciem, & succum adoptionis repræsentant, ab utroque parente nucipruna appellata. Prima omnium laus Damascenis tradi solet: à Damasco Syriæ monte, ut scribit Galenus, oriundis & cognominatis. Seruantur optimè, ut tradit Pamphilus Græcus, cadis uino dulci, uel nouo expletis, modò in his fluitarint, & uasa diligenter operta fuerint. Secũdas parteis sibi uendicant, quę pruni dactyla uocantur, à digiti longitudine, ut puto dicta: ouata pomi specie, & carne suaui, necnon insitionis mãgonio nusquam non nascentia. Quæ ex omni genere seruari debent, ea integra & sine uitio aut uermiculo, die serena legenda sunt, & in

Prunorũ differentiæ uariæ.

Nucipruna insitione cõparata.

Quomodo optimè seruẽtur pruna, & quibus laus tribuatur.

Quæ seruari debẽt pruna quomodo le

picata fidelia reponenda defruto aut paſſo plena, ut pomum omne demergatur: cui operculum diligenter gypſatum ſuperaddetur. Siccantur etiam in Sole per crates, ſicciore loco diſpoſita, ut ſcribit Palladius. Sunt qui in aqua marina, uel feruente muria, recenter lecta demergant, & inde ſublata, aut in furno tepido, aut in Sole reſiccant.

genda & reponẽda.

Medica.

PRuna ex aqua mulſa decocta, uentri molliendo ſanè quàm idonea eſſe ſolent, modò prandium inchoent. Quæ acidula ſunt, ſumma & poſtrema menſa apponi debent, ad os uentriculi roborandum. Folia in uino decocta, vuulam, gingiuas, & tonſillas fluxione laborantes, gargariſatu, uel oris collutione iuuant ac reprimunt. Idem præſtant & ſylueſtriũ prunorum reſiccatæ baccæ dum maturuerint. Quæ ſi in uino auſtero coquantur, aluum ſiſtunt, ac eius tormina ſedant. Gummi trunco prunorum adnaſcens conglutinat, & in uino potum calculos frangit: lichenáſque infantium ex aceto perunctum ſanat, ut ſcribit Dioſcorides.

Ventris remollitio.

Vuula, gingiuæ & tõſillę.

Alui cohibitio, tormina, calculus & lichen.

Arboris Cerasi, ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. VIII.

Quib⁹ locis, quó ue cœli statu gaudeat cerasus.

CErasus frigidis & humidis locis delectatur, ut tradit Florentinus in suis Græcorum georgicôn placitis. Cui astipulatur Palladius, scribens eam frigidum cœli statum amare, & solum positionis humectæ. Plinius, septentrione, & frigidis aquosísque montibus gaudere tradit: adhæc scrobes altas amare, & spatia largiora, necnon assiduas fossiones. Vultque ramos illius putres, marcescentes ac siccos amputari: adhæc quos dēsiùs arctatos protulerit, nimirum ut rarescat. In qua sententia etiam Palladius totus esse uidetur, adfirmans prætereà cerasum tanta esse ad cō prehendendum facilitate, ut uirgulta, nedum sparsa ossicula, in uitibus pro adminiculis posita, in arborem prosiliisse uiderit: non omittens trunco ac nouellis ramis illius lanuginem quandoque innasci, quæ si obstinatè adhæserit, totum corpus arboris putrefacit, quare debet sedulò deradi priusquam inseratur trunco, alioquin officiet. Porrò fimū usque adeò horret odítque, ut admoto eo degenerare palā conspiciatur. Valde autem proficit ac iuuatur, si

Quomodo tractāda arbor cerasi.

Ceraso summa facilitas ad comprehendendum.

Cerasum fimo non gaudere, & quomodo stercoranda.

sui

ſui ipſius putamina falce cõciſa circum radices ſepeliantur, ibíq; marceſcant: quemadmodum adnotat And. Matthiolus cõmẽtariis ſuis doctiſsimis in Dioſcoridem. Sanè nulla eſt arborum quę ſuam ſobolem & propagationem magis adaugeat. Nam eius humore & ſaliua, ſeu fœcundo quodam ſpermate, grauida facta terra, in campis, montibus & ſyluis adeò numeroſas plantas concipit, procreat & parit, ut nihil numeroſius, frequentius atque admirabilius occurrat. Specioſiſsimos ſatiuarum omnium fructus profert, diuerſorum generum: quò fit ut diuerſa quoque ſortiantur nomina: quæ hîc explicare nõ admodum laboro, cõtentus docere, quòd Frãcis Ceraſij nomẽ fructus ille proprium ſibi fecit, qui mediocri arbore naſcitur (interdum pumila, quaſi frutice, chamæceraſum rectè dixeris) pediculo breui, rotundulo pomo, pulcherrimè & iucundiſsimè inter uirentia folia (carbunculi modo) rubente, dum maturuit: cui caro multa, mollis & ſuccoſa ineſt, oſsiculum in meditullio claudens. Solet uſus eius maximè placere grato acore, unde moroſa ægrotantium palata mirè recreat, & pręgnantium malaciis,

Nulla arborum ſuam ſobolẽ tam ꝓpagat quàm Ceraſus.

Quid Ceraſus Frãcis ꝓpriè appelletur, & eius pictura.

Ceraſi fructus moroſis palatis gratiſsimus.

antequam maturescat, summè expetitur. Quòd ad gradus maturationis attinet, primùm uirent cerasia, mox albescunt, inde pellucido rubore illustrantur. Sunt quæ ab uno latere rubent, altero albent. Quædam etiam nigricant. Alia maculis quibusdam interspersis distinguuntur. Vnde rectè Ouidius:

Gradus maturationis cerasiorum.

Quæque sibi uario distinguit poma colore,
Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit.

Florentinus rusticę disciplinæ apud Græcos doctor insignis, tradit arborem cerasij fructum bonum & dulcem nunquam exhibituram, nisi fuerit alteri arbori insita. Quæ si humore nimio concepto putrescere obseruabitur, ex Palladii consilio, foramen in trunco excauari debet, quo ille possit educi. Si formicas patitur, succum portulacæ licebit affundere, cũ aceti parte media mistum: aut fęcibus uini truncum florẽtis arboris illinere. Præcoces fructus dabit, si ante florum exortum, calx uiua radicibus circumponatur, aut aqua calida sępiùs infundatur: sed posteà paruo temporis tractu inarescit. Optimum est huius arboris poma interuelli, ut quę relinquentur turgescant. Si quis, ut Florentinus tradit,

Remediũ putrescentis cerasi.

Quomodo fiant præcocia cerasa.

Ceraſo nigram uitem inſerat, uerno tempore vuas proferet. Si exoſſata habere cupis ceraſia, hoc eſt oſsiculis carẽtia, ex Gargilij Martialis ſententia, ut Palladius adnotauit, teneram adhuc arborem ad binos pedes recides, & uſque ad radicem findes, abraſaque ferro partis utriuſque medulla, illico ſeiunctas parteis uinculo perſtringes: & ſummitatem ac diuiſuras laterum fimo oblines: poſt annum ducta cicatrice dum diuortia coaleſcent: eidem arbori ſurculos qui adhuc fructum non tulerunt inſeres, & hinc ſine oſsibus poma recipies. Sed melius erit audire loquentem ea de re Democritum rei agrariæ apud Græcos cõſultiſsimum. Si tenellum (inquit) ceraſi caudicem radice tenus ſcindas, non vulnerata parte ima, medullámque ferramento ad eam rem apto eruas: deinde lacrymam cyrenaïcam infundas aqua dilutã, donec ſapæ conſiſtentiam referat, & humente charta dictum caudicem, non neglecto adminiculo, liges ac fulcias, ne lacryma effluere poſsit: ac rurſum octauo die eadẽ lacryma perfundas, ut germina excitet: hoc faciẽs enucleatum fructum habebis, non dicam ceraſi, ſed alterius arboris pomum oſsicu-

Quomodo fiant ceraſia oſsiculis carentia.

Vt Ceraſia prodeant enucleata, ex Democrito.

latum ferentis. Secreta alia & auxilia sunt de superioribus eruẽda. Hîc non omittam quòd cerasus lauro conuenienter inseritur, sicuti in nostro Insitionum opusculo docebimus. Nam hinc quandam odoris gratiã sibi conciliat fructus: qui inter redolentia ac uiridissima lauri folia speciosissimus spectatur, & à uermibus minùs infestatur.

Cerasum lauro cõueniẽter inseri.

Quòd ad cõdituram & custodiam attinet, ratio à Florentino Græco sic est tradita. Cerasia ante Solis exortúm arbore sua decerpta mittũtur in uas cuius fundo substrata sit satureia, iterúmque alternis sternitur satureia, deinde cerasia, usquedum uas oppletum fuerit: cui nonnihil aceti dulcis, uel, ut placet Ruellio, acidi mellis aliquãtum dulcescentis, superfunditur, uase diligenter operculato. Seruantur etiam interpositis arundinum foliis alternatim, ut nunc dictum est, in cado digestis. Multi æstuante & candenti Sole, usque ad rugas siccant: uel blando & temperato ignis, aut clibani calore: eóque modo optimè seruant, ad sanorũ & ægrotantium usum.

Cerasiorũ cõditura & custodia.

Modi alij custodiendorũ cerasiorum.

Medica.

DIphilus Siphnius arte medica aliquanto tempore post Hippocratem

admodum celebris (uixit enim ætate Lysimachi succeßoris Alexandri) de cerasiis hunc in modum scribit, adnotãte Ruellio. Cerasia bonum succum creant, sed parum alimenti subministrant. Stomacho æstuãti grata sunt, & eidem auxiliantur in frigida sumpta. Sed rubentia præstant & Milesia, quòd urinam pellant. Hæc ille: cuius æuum ideo proferre uolui, ut refellatur error eorum qui cerasia à Cerasunte Pontico municipio dicta contendunt: & à Lucullo, deuicto Mithridate illinc in Italiam primùm deportata. Quod uideant Grammatici, quibus rem eam discutiẽdam relinquo, ut tractent fabrilia fabri. Itaq;, ut medica pomi huius præsidia pro more sequar, Cerasia uentrem emolliunt, dulcia præsertim: quem paßa sistunt & cõtinent. Acida refrigerant & astringunt, flauamq; bilem extingunt, & iecinoris infarctus liberant. Gummi quod ex arbore stillat ex uino diluto sumptum gutturis asperitates lenit, colorem cutis gratiorem reddit, oculis claritatẽ adfert, ueteri tußi medetur, lichenas infantiũ ex aceto sanat, & (quod utiliter experti sunt multi) calculosis ex uino albo summè prodest. Inuenio apud au-

Cerasiorum natura & qualitas.

Cerasia à Cerasunte oppido perperam dici.

Vẽtris emollitio & cohibitio.

Iecinoris obstructio, gutturis asperitas, oculi, tußis, lichen & calculus.

Notandũ ex Plinio.

tores, inquit Plinius, si quis matutino roscida aliquot cerasia cum suis nucleis deuorarit, in tantùm leuari aluum, ut pedes morbo liberentur.

Arboris Mori, ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. IX.

Quomodo tractanda & curanda arbor Mori.

MOrus amat loca calida & sabulosa, Palladio autore, fossionibúsque & stercore plurimùm delectatur, nõ in profundũ, sed ad radicum usque superficiem, ut Berytius Græcus geoponicus tradit. Assiduo humore non admodum gaudet: cui putria, arida & superflua, post triennium sunt putanda. Semine prouenit si lecta granula deponantur, sed rigari continuò desiderant. Seritur meliùs taleis & cacuminibus sesquipedalibus, utraq; parte leuigatis, & fimo oblitis. Plantæ eius trãslatæ scrobes altiores desiderãt, & interualla maiora, ne altera umbris alterius prematur. Vitibus summè est amica, urbanarum omnium nouissima, & serotino germinatu florescens: nec nisi exacto frigore: ob id dicta arborum sapientissima, ut Plinius scribit: licet nomen fatuæ & stolidæ à Græcis adepta fuisse tradatur. Folia eius

Quomodo ritè proueniat Morus.

Morus uitibus summè amica.

urina madefacta pilum coriis detrahunt, illísque aluntur uermiculi qui mirabili naturæ artificio & spectaculo sanequàm iucundo, sericum uellus nobis conficiunt. Sed hîc Mori Plinianum miraculum nobis tacendum non est. Morus inquit, laurus & hedera mutuo attritu ignem facilè concipiunt: quod exploratorum usus in castris, pastorúmque industria reperit. Quoniam ad excutiendũ ignem non semper lapidis occasio est, teritur lignũ ligno, & arido fomite excipitur scintilla: sed nihil hedera præstantius quæ teratur lauro, laurúmque terat. hactenus Plinius. Nonnulli scripserũt arborem Mori feraciorem & proceriorem fieri, si forato prorsus trunco, cunei inserantur terebinthi hinc, inde lentisci. Eadem, ut Berytius tradit, si populo albæ inseratur, uel inoculetur, candida mora proferet. Quæ Italia tam copiosa habet, quàm nos nigra, pomo cartilagineo constantia. Quod unum exortu cãdidũ est: dũ pubescit, rubrũ: ubi maturuit adeò nigrũ, ut manus sanguineo tingat colore, qui moris acerbis optimè eluitur. De repositione & diuturnitate, Berytius hæc posteritatis memorię mãdauit. Mora in ui-

Pulchra & notatu ualde digna.

Mori lignũ attritu ignẽ concipere.

Quomodo fiat feracior morus, & cãdidos ferat fructus.

Quomodo reponenda & seruãda mora.

treo uaſe diligenter cōdita plurimo tēpore durant, proprio ipſorū iuſculo & uino demerſa, ac diligenter operta: modò non fuerint nimium matura, uieta, & flaccida ſeu languida.

Medica.

MOri poma matura aluum ſoluunt, ſed in ſtomacho ſtatim corrūpuntur: humectant ac parū refrigerant, niſi actu frigida ſumantur: quòd ſi non ſuperueniat alius cibus facilè intumeſcunt. Immatura uentrem fluentem ſiſtunt: ſi ſiccata Sole uel clibano, tundantur in puluerē, qui non ſolùm obſoniis iucundus eſt, ſed etiam cœliacis & dyſentericis ſummè prodeſt: ualétq; aduerſus ulcera quæ paſcēdo ſerpunt. Sunt qui dētes putridos & gingiuas eo colluāt ex uino. Folia trita & cum oleo illita, ualent ad ambuſta, capillúmq; tingunt cum foliis uitis nigræ & fici ſimul coctis in aqua cœleſti. Corticis & foliorū decocto dentes dolentes efficaciter colluuntur, & ramus Luna prima defractus cū incipit fructu turgere, proficit (ut Magi exiſtimāt, & adnotat Plinius) cōtra abundantiam menſium, ſi mulieribus lacerto alligetur: modò ille terram non attigerit,

Mororū natura & facultas.

Puluis immaturorum mororum.

Cœliaci, dyſenterici, ulcera, dentes, gingiuę, ambuſta, & capilli.

Mira de mori ramo ad ſiſtēdas quaſuis hæmorrhagias.

nec in posterum contingat. Subdítque hũc non modò fœmineum sanguinem sistere, sed etiam ex vulnere, ore, naribus & hæmorrhoidibus fluentem. In quã rem multos ramum illum religiosè seruare dicit. Faciet experientia fidem.

Arboris Persicæ ac eius pomi cura, auxilia, & secreta.

Cap. X.

PErsicis scatent Gallica rura, & maximè vineta. Proueniũt locis qualibuscunque: sed frondibus, pomis, & durabilitate præcellunt, si calidum cœlum, arenosúmque solum, necnon aridum sortiantur, quemadmodum scripsit Palladius, & ante illum Plinius. Frigidis locis & maximè uentosis, nisi obiectu aliquo defendantur, citò interit hæc arbor: quæ plurimùm lætatur suorum foliorũ stercoratione, & opportuna ablaqueatione. Ossa in pastinatis areis sunt ponenda, binis à se pedibus separata, ut cùm ibi plantæ creuerint, commodè transferri posſint. Nec debent altiùs duobus aut tribus digitis obrui, cacumine deorsum uerso. Dum tenera erunt germina, sæpè herbis circunfossa liberari

Quibus locis proueniat Persica mal⁹.

Frigida loca & uẽtosa persicis exosa.

Quomodo ponẽda persicorum ossa.

Quando & quomodo transferenda Persica arbor.

cupiunt, transferríq; post bimatum scrobe breui. Sed à se non longè statuendæ erunt arbusculæ, ut à calore Solis se inuicē excusent ac defendant. Quæ si irrigentur poma ferent maiora: nam assiduo potu hæc arbor inebriari desiderat: maximè per æstatē nec alia est quæ coloniam frequenter mutare libentiùs sustineat. Habitu multò lætior euadet, ut Florentinus in suis testatus est Georgicis, si simulatque poma persica ederimus, illorum ossa ponamus & conseramus, carnis parte aliqua in eis relicta. Verùm, cùm arbor hæc celerem sentiat senectam, pruno aut amygdalo amaræ inserendam esse præcipiunt Greci. Quæ si languida uidebitur, ueteris uini fæces aquę mistas oportebit infundere: & frequenti aggestione cumulare, uespertinoque humore iuuare, ac obiectis umbraculis defendere, si ardore Solis siccata contabescat. In quam rem etiam proderit serpentis spolium appendere. Si uermibus infestatur, cinere amurcæ misto extinguentur: uel bouis urina cum aceti tertia parte confusa. Si à pruinis periclitatur, stercus illi ingeratur: uel uini fæces cum aqua permistæ. Vel, quod magis prodest, aqua in qua faba fuerit incocta. Contra uitia omnia proficit spartum

Vt lætior euadat mal⁹ Persica.

Remediū lāguidæ & tabescētis persicæ.

Ne à uermib⁹ infestetur, aut à pruinis periclitetur.

alligatum: uel suspensa ramis spartea. Poma persica sine ossibus tibi comparabis, ut in suis georgicis tradit Africanus, si in perforatum infernè truncũ, excisa medulla, salicis uel corni palum adegeris. Vt persica admirandæ magnitudinis tibi compares, amygdalas item ac nuces & similia, accipies tres uel quatuor nucleos ex illis, quos ita coaptabis ut corpus unum constituere uideantur. Hos iunctos, & si opus fuerit, colligatos, in uas aliquod terra stercorata plenum immittes, plãtabis ac sepelies: sed ita ut uas illud foramen habeat in operculo per quod nucleorum germen exire cogatur. Sic fiet ut nuclei illi in unam coalescãt arborem, quæ suo tempore fructus eximiæ magnitudinis ac pulchritudinis edet ac ꝓferet. Sunt qui nucleos non in uas sed fistulam aut tubulum terra saturum mittant. Si id multò leuius & facilius tibi comparare studes, diligenter interlegenda erũt persica illa quę parua & languida apparebunt, nimiáque ubertate matrem onerabunt: ut arboris succus ad reliquorum nutrimenta conuertatur. Sic enim saliuæ copia in pauciores fœtus se conferens, illos altili saginabit incremento, ac maiores reddet. Si ru-

Vt persica sine ossibus producãtur.

Modus ingeniosus ut fiãt persica eximiæ magnitudinis.

Via alia & modus facilior.

Ne ſint rugoſa perſica aut putria.

goſa naſcantur perſica aut putrida, iubet Palladius circa imum truncũ corticem recidi: & cùm inde modicus effluxerit humor, argilla uel palcato luto plagam contegi. Si caduca & deflua fuerint perſica, nudatis radicibus, cunei lentiſci uel terebinthi adigantur: aut arbori terebratæ in medio, palus ſalicis imprimatur. Si inſcripta & figurata naſci cupis, ex Democriti conſilio id aſſequeris, ſi excıſa aut deraſa carne pomi, os triduo in aqua madeſcat: & aperto ſenſim ligno, nucleus excluſus æneo ſtylo cortice tenus, quibus placebit literis aut figuris non profundè exaretur: deinde in ſuum alucolum remittatur, & commiſsis carinulis, fimo, charta, aut foliis inuoluatur, & ſeratur, rigetúrq; ſi opus erit: quidquid enim in eo nucleo ſcripſeris, aut figuraueris, enatum inde pomum illud repræſentabit. Quòd ſi uoles rubrum habere, idipſum, eodem affirmante Democrito, obtinebis, roſis purpureis ſub arbore conſitis. Vel ſi in oſsium internos ſinus, poſt ſeptẽ dies, quando patefieri incipiunt (nam totidem diebus obruta oſſa ſponte fatiſcunt) cinnabarim uel minium infundas: & ſtrictim obligata oſſa illa, ut cohæreant ſimul

Ne caduca & deflua ſint perſica.

Quomodo inſcripta & figurata naſcãtur perſica.

Vt rubra naſcãtur perſica.

cũ ſuis nucleis, adhibita omni cura ſepelias: ſic rubra intus & in cute ſua dabunt arbores perſica. Si alium quemuis infuderis colorem, ſaporem aut odorem, in ſimilem nata progenies degenerabit. Hîc penè præterieram perſicorum genera: quæ tria vulgo obſeruari ſolent. Vnum populare, cuique notum: quod ſub æſtatis finem con ſueuit matureſcere, citiùs, tardiùs, pro cœli & ſoli natura. Alterum ex re duracinum dicitur, quòd caro oſsi tam pertinaciter hęreat, ut auelli nequeat: Preſſum vulgus nũcupat: quia interiori ligno caro, ceu agglutinata apprimitur. In quo etiam genere inueniuntur, quæ ſanguinea pulpa, & ſucco manus inficiant: adhæc, quæ cotoneorum more, intus & extra ualde flaueſcant. Tertium genus præcox & anteperſicum appellatur, olim Armeniacum initio ęſtatis ma tureſcẽs, & cętera perſica longè pręueniẽs: ex quo nomen habet: dicíque ſolet à noſtratibus Abricocũ. Alia ſunt genera olitorio mãgonio, & inſitionis adulterio prognata, quę hîc prudens omitto. Popularibus primi generis, Plinij ſeculo nihil fuit fugacius, nam longiſsima decerptis erat bidui mora, & ob id cogebant ſe uenundari,

Notãda quia pulchra.

Perſicorum genera tria.

Duracinũ & preſſum.

Perſica ſanguinea & flaua.

Præcocia anteperſica & armeniaca.

Popularibus perſicis nihil fugacius.

Quomodo custodienda persica.

ut ſcribit. Duracina Palladio autore, muria & oxymelite condita, uel aceto mulſo, optimè ſeruantur. Eadem detractis oſsibus, prunorum more, in Sole, uel clibano ſiccantur. Sæpè etiam oſsibus exemptis, melle condiuntur, ſapore grato ac iucundo. Seruantur pręterea ſi umbilicus eorum gutta picis calentis oppleatur, & ita ſapæ innatare cogatur, uaſe diligenter clauſo. Quæ omnia etiam præcocibus, & aliis carne duriore & minùs aquea conſtantibus, qualia ſunt Pariſiēſibus Corbelliana, facilè accōmodari poterunt: iis prætereà quæ loco ſicco & lapidoſo naſcuntur.

Aduertenda quia pulchra

Corbelliana perſica.

Medica.

Perſica omnia praui ſucci eſſe.

PErſicorum genus omne damnaſſe uidetur Galenus, ut praui ſucci alimentū ob facilem corruptionem. Quapropter perſica primis menſis ſemper edenda præcepit, præſertim quę carne conſtant humida, & aquoſo pulpamento: nam ſtomacho innatant, & quicquid præſumptum fuerit, unà ſecum in corruptionem trahunt. Quæ ſi pręierint, lubrico meatu uiam facilem aliis cibis ſternent. Innocentiora eſſe tradūtur pręcocia, & quæ carne conſtāt ſicca, & nullatenus humida: nam corruptioni fa-

Perſica primis menſis edenda.

Quæ perſica ſint innocentiora.

cilè non patent, neque acorem citò contrahunt, & ſtomacho ſuauiter commodāt. Vulgus Gallicum ſibi perſuaſit perſica nucleo ſuo noxam expedire, quam impediēs perſicum attulerit. Nec temerè, nam incidendi, detergendi, & aperiendi facultate pollet: qua ex re improbitati ſucci occurrit. Noxa etiam uino generoſo tollitur, ſiue illud ſuperbibatur, ſiue perſicum in eo madeſcat, & innatet. Nuclei per auram peſtiferam ſumpti, maximoperè iuuant, lumbricos enecant, & obſtructiones tollunt. Qui ſummè amari, & linguæ parum grati, ſaccharo excipi & condiri à multis ſolent. Cum aceto & oleo triti, capitis doloribus utiliter illinuntur: ſed quibus, & qua ex cauſa non ſcripſit Plinius: qui plerũque remedia abſque limitatione pronunciat, unde cautè & circunſpectè legendus eſt. Perſici flores aluum deiiciunt, tam eſu, quàm iuſculo immiſsi: ſed non abſque labore & detrimento. Idem præſtat & minore noxa, aqua ubi flores illi amarulenti ſepties macerati fuerint, decocta cum ſaccharo ad zulapij conſiſtentiam. Quæ præterquàm quòd aſtrictæ alui excrementa deiicit, etiam uermes unà extrudit. Quos trita

Perſica cur nucleo ſuam expediant noxam.

Peſtis, lumbrici, obſtructio & capitis dolor.

Notanda de floribus perſicariis pro alui reiectione, & uermibus.

folia, & puerorum umbilicis admota, similiter perdunt.

Arborum Mespili & Sorbi, pomiq́; earundem, cura, auxilia, & secreta. Cap. XI.

Mespilus Gallis nunc Meslierus, nũc Neflierus vulgò dici solet. Cuius duo obseruantur genera. Vnum, quod rarioribus spinis horret, in dumetis, nemoribus, & uiuis sepibus, quasi syluestre nascens. Huic pomum paruum inesse solet, & per initia tam acerbum, ut uix edendo esse posit, nisi hyemis frigoribus mollescat. Alterum grandiore pomo sese profert, ita ut magnitudine mala sæpenumero perequet, absque ullis spinis: quòd crebro insitu & cultu in hortis habitasse, & feritatem deposuisse dubium non est. Locis calidis gaudet, sed tamẽ irriguis, ut tradit Palladius. Frigidis etiam prouenit, sabulone pingui, aut glareosa terra cui arena permista sit, uel argilla cum saxis. Putari amat, necnon circunfodi, & parco humore inter siccitates refocillari. Nostrates ligno huius ad uenabula & aurigarum flagella uti plurimùm solent. Vermibus in senecta crebrò infestatur

Mespilorum genera duo.

Vnde magnitudo in mespilis.

Quibus locis gaudeat mespilus.

Quomodo à

infeſtatur meſpili arbor: qui pręgrandes, & quàm cęteris arboribus diuerſi cernuntur: purgandi æreo ſtylo, ut Palladius admonet, atque amurca, uel humana urina uetere, aut uiua calce perfundendi: ſed parciùs, propter arboris noxam. In quam rem plurimùm etiam proderit decocti lupini aqua. Si labuntur poma, fruſtum de eius radice præciſum, in media trunci parte figatur. Si moleſtæ ſunt formicæ, rubrica cũ aceto & cinere temperata necabuntur. Arbori huic pomum rotundum eſſe ſolet, ac uiride dum pubeſcit, fuluum uerò ac molle dum maturuit, fundo in latitudinem reſimo & barbatulo coronæ modo: quod Politianus in Ruſtico ſic expreſsit: Regúmq; altas imitata coronas, meſpila. Ineſt illorũ pomo aſtringẽs ingenium. Galenus communi uocabulo tricoccũ, quaſi trioſſum, aut trigranum ab aliquibus appellatum dicit: quoniam tria intus grana, ſiue lignea oſsicula, ſeminis loco plurimùm continet. Quod ad cuſtodiam attinet, in parente arbore diu durare poſſunt meſpila: uel in urceolis picatis, ut habet Palladius, aut in ordinem ſuſpenſa. Vel, ut quidam uolunt, poſca aut ſapa condita. Die ſerena legi de-

uermib⁹ expurganda ſit meſpilus.

Ne labantur poma meſpili & moleſtæ ſint formicæ.

Pulchra deſcriptio fructus meſpili.

Quomodo cuſtodienda meſpila.

bent circa meridiem, & paleis obrui discreta, ne uicissim contactus ea uitiet. Si cũ pediculis semimatura legantur, & salsa aqua per dies quinque macerentur, posteà sapæ infundantur ut enatent, perbellè seruabuntur. Quod facere si nequeas, etiam melle, si minus matura collegeris, rectè custodies. Per gelicidia acerbitate domita, in passo uel mulso à plerisq; decoquuntur, addito cinnamomi momento. Sed cùm hîc hortulanum agam non Apicium, isthæc cocis curanda relinquo.

Notatu digna quia pulchra

Sorbus, Gallis Cormierus, uel Sorbierus dici solet. Amat loca humida, montana & frigidis ꝓxima, ut scribit Palladius. Quod ex Theophrasto translatũ esse uidetur: qui sorbũ uiuacem esse prodit solo altioso & humecto: unde paulatim sterilescere tradunt, si ad feruentia loca deuenerit. Nascitur semine, radice & auulsione. Quæ si transferenda est, robustior esse debet. Scrobẽ altiorem desiderat, & spatia longiora: ut (quod illi maximè prodest) à uentis frequentibus agitata grandescat, quẽadmodũ tradit Palladius. Vermibus rufis & pilosis summè est obnoxia per senectã: qui medullæ interna sectantes, arborẽ ad interitũ tabémq; per-

Quænã loca Sorbis apta.

Notanda pro educatione Sorborum.

Quomodò à uermibus liberetur sorbus.

ducunt. A quibus libera euadet, si aliquot ex iis sine arboris iniuria detracti, uicino cõcrementur incẽdio: nam ita uel fugere, uel perire credũtur. Si minùs ferax fuerit arbor, tedæ cuneus radicibus inserendus est. Vel circa partẽ ultimã fossa facta, cumulo ingesti cineris adæquãda. Ante trimatũ nõ censetur esse fœcũda: cuius fructus cùm largè proueniunt, vuæ modo farcti, cõgestíq; uisuntur, ex uno petiolo faui speciem præbentes. Hos uermiculus etiamnũ crudos, acerbissimósq; exest, ut scribit Plin. qui pomorum sorbi differentias quatuor statuit: uni rotunditatẽ mali ascribens: alteri turbinationem pyri: tertio oualẽ formã: quartum torminale nuncupat, remedio tantùm probabile. Seruantur hoc modo: Lecta duriora ac posita, ubi mitescere cœperint, fictilibus urceolis usq; ad plenũ claudũtur, gypso desuper tectis: posteà scrobe bipedanea loco sicco & aprico mergũtur, ore peruerso, ut loquitur Palladius, & terra spissiùs calcata. M. Cato in sapa diu posse seruari tradit. Cui subscribit M. Varro, addens in arido ubicũque posita, facilè per se durare. Quæ etiam dissecta, nõnulli in Sole, ut pyra siccãt, seruãtq; uasculis in hyemẽ. Cùm

Vt ferax & fœcũda fiat sorbus.

Pomorũ sorbi differẽtiæ quatuor.

Quomodo seruanda sorba.

Alij modi custodiendorũ sorborum.

uti uolũt, aqua feruente macerãt, ac ita reuirescere cogũt, sapore sanequàm iucũdo. Alij integra cũ ramis dolio picato suspendunt, illitis pice omniũ surculis, exclusaq; aura quacũq; operculo ac gypso, dolia ab aqua & humiditate procul esse satagũt. Quidam, ut tradit Columella, in defruto illa cõmodè seruant, addito spissamento aridi fœniculi, quo deprimãtur, ita ut ius supernatet: deinde picato operculo uas claudũt, & gypso illinunt, ne quis posit intrare aut abire spiritus. Fit ex maturis sorbis, sicut ex malis & pyris uinum apud multos: adhæc, omphaciũ & acetum ex immaturis.

Pulchra & notatu digna pro sorborũ repositione.

Vinũ, omphacium & acetũ ex sorbis.

Medica.

MEspili immaturũ pomũ medici usurpare solẽt ad coërcendũ alui ruẽtis impetũ. Nec desunt qui siccata arboris folia, & in puluerẽ redacta clysterib⁹ dysentericorũ magno & felici successu remisceãt. Eadem pollẽt facultate sorborum poma, Galeno teste. Quæ duo parcè, & nõ affatim, ut ficus ac vuæ sunt comedenda: nã illis ceu cibis nequaquã indigem⁹, quin potius ut medicamentis. Dioscorides dissecta sorba priusquã maturescãt, & Sole siccata, ꝓbabili remedio ad aluũ stipandã conferre.

Alui cohibitio, dysenteria.

Mespilis & sorbis utẽdũ, ceu medicamentis.

Remedia ad aluum cohibendam.

ſcribit. Idē uſus eſſe ſolet farinæ ſiccatorũ & pila contuſorũ ſi polētę modò ſumatur, aut iuſculis uel pulticulę miſceatur, clyſteribúſ ue addatur. quod etiã decoctũ eorũdem præſtat. Sed hoc ſanè memorabile, ſi quis à cane rabido aliàs morſus, iacuerit ſub ſorbo, periclitatur in rabiẽ rurſus incidere: nã cõſopitã excitare creditur. Eſt & id nõ prætermittendũ, quòd licet meſpilorũ caro aſtringentis ſit naturæ (de immaturis loquor) nihilominus puluis eius lapillos in renibus uehementer comminuit, & excludit. Cuius rei periculũ felicisſimo ſucceſſu à ſe factum teſtatur Ant. Muſa, medicus apud Ferrariẽſes doctisſimus & exercitatiſ. Scio nõ deeſſe qui de oſsiculis meſpili idẽ polliceãtur & experientia confirmatũ tradant. Vtrunq; facilè experiri licebit.

Morſus rabidi canis.

Puluerẽ meſpilorũ lapillos renũ comminuere.

Arboris Nucis, ſeu Iuglandis, eiúſq; fructus cura, auxilia, & ſecreta.

Cap. XII.

NVx, ſiue Iuglans, arbor eſt pueris ac ſenibus notiſsima, quæ locis ſiccis & frigidis gaudet, necnõ lapidoſis, quẽadmodũ poſt Plin. ſcripſit Palladius. Columella agrum calidum, durum & ſiccũ deſiderare tradit. Poteſt tamen & locis tempe-

Quibus locis gaudeat nux

Quomodo serenda nux & ante sationē præparāda.

ratis iuuante humore educari. Serenda eſt nucibus ſuis eo modo quo amygdalus: ſed priùs ſiccari debent in Sole, ut exhauriatur humoris noxiū uirus. Idē Columella præcipit eas macerandas eſſe in aqua mulſa, nec nimis dulci ante depoſitionem : nam ita iucundioris ſaporis fructum cùm adoleuerit arbor præbebit : ac interim melius & celerius naſcetur . quod de Auellana multi intelligendum cēſent. Palladius admonet nuces eas tranſuerſas ponendas eſſe: ut latus ac commiſſura terræ infixa ſepeliatur, & cacumen ad Aquilonis partem uergat . Columella ternas in trigonum ſtatuit: ſed ita ut pars acutior ſit infra (quia inde radices mittit) & nux à nuce minimè palmo abſit, ancépſque ad Fauonium ſpectet. Vt ut fuerit, lapis uel teſta ſubter apponi debet, ut radicem non ſimpliciter, ſed repercuſſu diſpergat. Hæc de iuglandibus obſcurè tradita, ad amygdalas cum Plinio libēter detorquerem : etſi iuglādes nuces commiſſuris iacentibus porrectas optimè ſeri præcipit. Quarum arbor quò ſępius transferetur, eò lętior euadet. Quod fieri expedit, dū bima eſt in locis frigidis : in calidis uerò, dum trima. Cuius radiculę reſecari nō de-

Notanda pro nucum poſitione & plātatione.

Quomodo & quādo tranſferenda nux.

bent, ut fieri ſolet in aliis arboribus, quin potius bubulo fimo tingi: uel quod melius erit, cinere in ſcrobibus reſpergi, ne ſtercoris calore aduratur arbuſcula. Nulla eſt arborum (poſt ceraſum) quæ uel facilius, uel melius proueniat. Cuius rei teſtem proferemus Ouidium, apud quem nux querula hunc in modum loquitur:

Nucẽ de omnibus arboribus citò ac facilè prouenire.

Sponte mea facilis contempto naſcor in agro:
Párſque loci qua ſto, publica penè uia eſt.

Scrobibus altis admodũ delectatur, vultq́; interualla magna, quia ſtillicidiis foliorũ ſuorũ proximis, uel ſui generis arboribus nocet. Ita enim frondis proiectu diffunditur, ut per ipſam non defluãt imbres, ſęuáque ſtilla eſt, quemadmodũ ſcribit Plinius. Apud quem etiam lego umbrã arboris huius, ſatis quibuſq; nõ nutricẽ eſſe, ſed nouercam: unde quęcunq; attigit haud dubiè uenenat. Arbor hæc inferiore ſui parte fertilior eſſe ſolet: neq; cariem, neq; uetuſtatem ſentiens. Idq́; de multis ſingulare habet, ꝙ ſe frangi ſonitu pręnunciat: ita ut pręſentire homines poſsint. Quod in Antandro cõtigiſſe tradit Plinius, omneíſq; è balneis ter refactos aufugiſſe. Sed mirabilis eſſe ſolet illius cũ quercu antipathia, tam enim per-

Nucis arboris ſtillicidia nocere, adhęc umbrã.

Mira de nuce arbore & notanda.

Nucis & quercus ſumma antipathia.

tinaci odio dissidẽt, ut iuxta nucẽ iuglandem depacta quercus moriatur, imò uerò altera in alterius scrobe posita elanguescit: & si nucẽ in quercũ senio mutari nonnulli tradiderint. Damageron in suis Georgicis

Quomodo nux optimè adolescat.

gręcis scribit nucẽ meliorem fieri, meliúsq; adolescere, si urina pueri impuberis, uel nondũ Venerẽ experti, dieb9 quinque præmaceretur ante quàm terræ cõmittatur, & ita plãtetur. Quod etiam in amygdalis cõmendatur, ut sequẽti capite scribemus. Si

Quomodo cortex nucis fiat fragilis.

caudici, uel radicib9 cinerẽ iugiter affuderis, corticis teneritudinẽ & nuclei fragiliorẽ carnẽ, fructuũq; dẽsitatẽ procurabis. Eadẽ lætior euadet, ac citò adolescet, si cuprinũ clauũ, aut ligneũ palũ ad medulã usq;

Quomodo nodosam duritiem exuat nux, & fructũ non perdat.

trãsfixeris. Nodosam duritiẽ exuet, ac nuces facilè friabiles dabit, si truncũ terebro per medullã traieceris, atq; foramini parẽ ulmi cuneum adegeris. Si fructum amittit & defluuũ habet, uerbasci radicẽ, uel coccineum pannũ detritum, & è sterquilinio acceptum, amuleti uice suspende, aut illiga. Hæc Damageron. Ad Palladiũ redeo.

Ne uitio senectæ excauetur nux & interhiet.

Si senectæ uitio, inquit, excauetur iuglandis arbor, longus canalis à summo trunco ad imum excudi debet: sic enim Solis &

uenti beneficio difflãtur ac durescũt quæ in marcorem transibant. Arcebitur autẽ hiantis cauernæ uitium, frequenti arboris ablaqueatione. Si prædurum & lignosum fructũ gignat, cortex in orbẽ vulnerandus erit, ut noxij humoris uitiũ deducatur. Alij radicũ summa præcidunt. Pleriq; terebratæ radici buxeum cuneum imponunt: aut cupreum, ferreúm ue clauum. Africanus pollicetur in suis georgicis, iuglandes sine putaminibus nuces edituras, quas Tarẽtinas nuncupant, si fractis utrinque carinis, integer nucleus illæsa prorsus carne, lana aut uitigineis foliis recẽtibus obuoluatur, quò minùs à formicis enucleatus arrodatur, dein terrę mandetur. Africano subscibunt Florentinus Gręcus, & Palladius Latinus, promittítque ille, amygdalis idem euenturum, si trunco & radicibus asiduè cinis circunfundatur: imò uerò & reliquis fructuũ generibus, quæ testam forinsecus habent, si iuxta præcedentem modum eorum arbores plantentur. Quod nuciferæ arbori quæ ætatem tulit, si uoles accommodare, lixiuio per annum continuum ter in mense rigabis. Cæterùm quia arbor hæc sata quæuis, ut diximus, sua umbra & prę-

Ne lignosum fructum nux progignat.

Quomodo gignãtur nuces absq; putaminibus.

Notãda quia ualde pulchra.

Quomodo nuciferæ arbori quæ ætatem tulit, succurratur.

ſentia lædit, atque hortis ob id inutilis eſſe cenſetur (hãc niſi in extremo margine fundus alat) idcirco cuperent plerique rationem inire, qua uel areſceret, uel annoſa & grandis facilè extirparetur. His Democritus hunc in modũ ſatisfacit. Ieiunus (inquit) lentis grana aliquot mande ſeorſim: quæ dum adhuc in ore uerſas, pubeſcentis flore iuglandis ramum quem uolueris demorde, arbor paulatim diſtabeſcet. Id ſi non placet, flagrans igni clauus (uel lentis granum, ut legit Ruellius) radicibus imprimatur. Aut in traiectã terebro arborẽ, puerile lotiũ, uel cuneus myrteus immittatur: p̃ſertim dũ floret: uel radici ablaqueatę dictãnus, faba, uel pãnus mẽſtruo muliebri imbutus, admoueatur: nã ita arbor tabida ariditate cõficietur. Sũt qui in terebratam medullam uiuum argentum iniiciant. De extirpatione quarumcunque arborũ, quãdo huc incidimus, hæc apud Plin. reperi. Syluæ extirpandæ rationem Democritus prodidit, lupini flore in ſucco cicutæ uno die macerato, & radicibus ablaqueatis reſperſo. Sunt qui ſub diebus Caniculæ illas ad medullam perforent, & petroleũ cum ſulphure iniiciant. Ferè hîc prętereieram

Quomodo facilè extirpanda ſit & perdẽda nux annoſa.

De extirpatione quarũcunque arborum.

quod à multis traditum & obseruatũ audio, nimirum nucem arborem crebra uapulatione emendari & fœcundari: uel fidẽ faciente hoc populari disticho,

Nux uapulãdo, ut mulier & asinus, emendatur.

Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligata:
Hæc tria nil rectè faciunt si uerbera cessent.

His utcunque positis non prætermittam pulcherrimum fertilitatis, uel sterilitatis presagium & prognosticon, quod ex nucis arbore Virgilius posteritatẽ latere noluit: licet multi amygdalæ ascribant:

Prognosticõ fertilitatis vel sterilitatis à nuce.

Contemplator item (inquit) cùm se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olenteis:
Si superant fructus, pariter frumenta sequentur:
Magnáque cum magno ueniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Ne quicquam pingueis paleæ teret area culmos.

Hic dissimulandum non arbitror, quòd Iuglandis cortex lanis ac manibus tingendis, & rufãdis capillis, Plinio autore, adhibetur. Quod nux querula sic apud Ouidium testatur:

Nostra notat fusco digitos iniuria succo.
Cortice contactas inficiente manus.

Sed omissa arbore, ad eius fructum, si placet, ueniamus, quem duplici munimento & inuolucro tegi, nullus est qui nõ uideat: puluinato primùm calice, herbaceóq; cortice: mox ligneo putamine, compactili ca-

Fructus nucis pulcherrima descriptio & pictura.

rinarum loculo, & tenui tunica intus armato, quot modis fœtus in parente solet esse, ut scribit Plinius. Quæ causa nuptiis religiosas fecit nuces: olim à Regib⁹ è Perside trãslatas, & ob id regias ac persicas nominatas, ut autor est ille idem Plinius. Hîc non tacebo, quòd à capitis grauedine, quã foliorum odore in cerebrum penetrante, nux inducit: necnon à grauitate umbræ, karyon Græcis dici solet: quibus kara, Attico idiomate, caput significatur. Sic à Latinis ob easdem causas, à nocẽdo nux (ut opinor) nomen habuit. Cæterùm iuglandem nuncupari uolunt, ac si diceres Iouis glandem, interlisis literis. Quo nomine primo mundi æuo ita appellatã fuisse plures tradũt. Quippe cùm homines diu glandibus uictitassent, inuenta tandem arbore quæ nuces ferebat, degustato nucleorum eius sapore, dulcedine illorum mirum in modum illecti, nuces, Iouis glãdes ob præstantiam & excellentiam appellauerunt. Ad pensum redeo. Nucibus cortex sponte exutus maturitatis indicium præbet, ac tẽpestiuitatem fatetur. ex quo tunc excuti debent. Seruãtur optimè uel paleis obrutę, uel arena, uel foliis suis aridis, uel arca ex

Cur nuptiis religiosę sint nuces.

Notanda de nominibus nucis & eorũdem etymo.

Vnde nuces Iuglandes uocatæ.

Quando nuces maturæ iudicãdę.

ligno suo facta, si in ea claudantur, uel si cepis remisceantur. Quibus hanc contubernalis hospitij uicissitudinẽ rependunt, ut eis acredinem tollant, & proinde suauiores reddant, quemadmodum Palladius adnotauit. Apud quem Gargilius Martialis (cuius meminit Seruius in Georgic. Virgil. ut anteà monuimus) asserit se expertum nuces post annum uirides inueniri, si liberæ putaminibus suis melle demergantur: addítque, ipsum mel ita medicabile fieri, ut ex eo concinnata potio faucibus & arteriis medeatur. Sed hæc sequenti narrationi medicæ erant contexẽda. Istud pro coronide erit. Si in aquæ situlam uirẽteis iuglandium cortices tusos immiseris, & aqua illa terrã perfuderis, uidebis lumbricorũ ingentẽ copiam emergere. Quod piscatoribus scriptum sit.

Quomodo optimè seruẽtur nuces.

Quomodo nuces post annum uirides inueniantur.

Terrestres lũbrici à corticibus Iuglandis excitantur.

Medica.

HEraclides Tarentinus petere solebat, primá ne mensa an summa, nuces offerri debeant. Si postremo cibo, uti mos est, exhibeantur, bibendi desiderium proritabunt, potúsque auiditatem molientur: quo quidem cibis iam distento uentriculo, & refertis interaneis, insinuatæ, de-

Primá ne, an postrema mẽsa exibendæ nuces.

turbante impetu, flatus ac inflationes excitabunt, cibósque corruptionis labe uitiabunt. Quòd illis ab oleaginosa substantia insita sit quædam enatandi facultas, quæ coctioni parum cedit: unde cruditates oriuntur, & alui deiectiones promouentur. Torrefactæ minùs corpori negotiũ facessunt. Quo modo Mnesitheus Atheniensis edendas præcipiebat, depasta ab igni & calore superflua earum oleacitate. Diphilus Siphnius capitis dolores ciere, & reliquis cibis innatare dixit. Cui subscribit Diocles: addítque sagina sua strigosos ad crassitiem reducere, modò ab illorum stomacho probè uincantur & coquantur. Vt ut fuerit recentes iucundiores stomacho esse solent, siccæ uerò nocentiores, biliosæ, cõcoctu difficiles, & capitis dolorem, si profusè assumantur, conciliantes. Sunt prætcrea tussientibus inimicæ, sed uomituriẽtibus ieiunis aptæ. Cum cepa, sale & melle tritæ, canum, hominúmque morsui auxiliantur: & cum exiguo melle ac ruta, mãmarum inflammationibus ac luxatis optimè apponuntur. Cum suo cortice crematæ & umbilico admotæ, tormina efficaciter discutiunt. Quæ peruecteres sunt gan-

Quomodo flatus, inflationes & alui deiectionem moliãtur nuces

Quæ nuces minus noxię dicantur.

Recentes & siccæ nuces.

Tussis, uomitus, morsus, mammarum inflammatio

grænis, carbunculis & ſuggillatis medentur. Nucleorum combuſtorũ cinis ex uino ſubter inditus, fœminarum fluentes plus æquo purgationes cohibet. Nuclei iidem commanducati, & ex ore protinus impoſiti, areas capitis pilo celeriter replent: modo id ſæpius iteretur. In tineſmo editur nucleus ad pituitam extrahendam. Sed celebratiſsimũ illud Mithridatis alexipharmacum (de quo in ruta libro ſecundo aliquid diximus) hîc ex Plinio referre, nec otioſum, nec inutile uidebitur. In ſanctuariis, inquit, Mithridatis maximi Regis deuicti, Cneus Pompeius inuenit in peculiari commentario ipſius manu deſcripto, cõpoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis, ficis totidem, & rutæ foliis viginti ſimul tritis, addito ſalis grano. Qui hoc ieiunus ſumit, nullum uenenum illo die timeat. Prodeſt eadem antidotus mirabili ſucceſſu aduerſus graſſantis peſtis contagia, ieiuno uẽtriculo deuorata. Teſtes ſunt multi cùm noti, tum ignoti, hac antidoto per magnas & deploratas peſtilentias me admonente & miniſtrante ſeruati. Cæterùm uirides iuglandes, ſub Iunij finem, antè quàm putamina obduruerint, ſaccharo uel melle

Tormina, gãgrenę carbũculus, ſuggillata, mẽſtrua, alopecia & tineſmus.

Mithridatis alexipharmacum & antidotus contra uenena.

Mira antidotus aduerſus peſtis contagia.

asseruatæ, stomacho utiles euadunt, & ori sanequàm gratæ habentur. Quin & ex his stillatitia fit aqua pridie natalis B. Ioannis, quæ ad multa utilis esse solet: præsertim ad tertianas febres abigendas, & alias quas, dũ adhuc essem adolescens, quasi miraculo quodam, propinatæ huius aquæ cyatulo dimidio ante accesſionem, efficaciter curabam.

Iuglãdes cõditę, & ex his stillatitia aqua.

Notatu digna quia ꝓbata.

Arboris amygdali, eiúsque nucis, cura, auxilia, & secreta.

Cap. XIII.

AMygdalus agrum durum, siccum & calculosum amat, adhæc cœlum calidisſimum. Quæ quia maturè florere consueuit, præcocíque partu, pro cœli & soli natura germinare, idcirco Palladius ita statuendam præcepit, ut meridiem, si fieri potest, semper spectet. Plantatur Florẽtino autore, à nuce, uiuiradice, & auulsione, uel stolone. Nuces quæ seri debent, pridie liquido fimo macerantur. Sunt qui hydromelite, aut aqua mulsa madefaciant, & noctem unam ibi esse sinant, ut mellis mordacitas germen non extinguat, & iucũdioris saporis arbor fructum præ-

Locus aptus amygdalis.

Quomodo plantanda amygdalus.

Notanda & aduertenda.

præbeat, cùm adoleuerit: meliúsq; & celeriùs frondeat. quod de amaris amygdalis multi intelligendũ censent. Vt ut fuerit, amygdali nux in terram recta figi debet, ea parte quæ acuminata est, ita ut lignosior pars sursum uergat. Sed quæ pangentur amygdala, noua sunt eligẽda, ac uegeta & recẽtia. Quibus si siccitas intercesserit, terna succurremus rigatione in mense, herbísq; nascentibus & nocentibus, circunfodiendo, emergentem arbusculam sæpenumero liberabimus. Terra seminarij Palladio adnotante, lætamen admistum habere debet, spatiis inter arbores XX pedum distantibus. Adolescentes arbusculę & nouellæ diligenter à pecore sunt seruandæ, quia si ab illis roduntur, amarescunt. Dum floret arbor, circunfodi non debet, quia inde flos exacuitur: cuius ea est natura, ut in senio fœcundior sit, quàm iuuẽta. Theophrastus tradit, & post illũ Plinius, ex amaris dulces fieri amygdalas, si stipite circunfosso, & ab ima parte perforato, defluens undiq; pituita detergeatur. Quod Africanus in suis Georgicis Græcis etiam monuisse uidetur, hunc in modum scribens: Ex amaris dulces fient amygdalæ, si circunfosso stipi-

Noua amygdala pangẽda, & quomodo illis succurrendum.

Amygdalinę arbusculæ à pecore defendendæ.

Quomodo ex amaris dulces fiant amygdalæ.

te quatuor digitis à radice cauernula imprimatur, per quam lacryma quotãnis effluat, donec dulcescat fructus. Idem fiet si circa radices ablaqueatas, urina & suillum stercus largius infundantur, deinde terra exaggeretur, & sæpius id repetatur: aut trũcus medius terebretur, & cuneus ligni, melle oblitus imprimatur, ut habet Pallad. Quin teneram & dulcem, ex dura & amara efficies, eodem Africano autore, si radicibus ante florem circumfossis, aqua calida frequenter ingeratur. Quòd Gargilio Martiali, suo more, parum prudenter ascribit Pallad. Fructum facillimè amittit, nedum florem, si austrinum fiat cœlũ atque nubilum. Cæterùm, ex sterili fructiferã reddes, ut scripsit Democritus in suis de re agraria commentariolis, si radices hyeme nudaueris: uel in perforatam arborem, ut vult Columella, lapidẽ adegeris. Quòd si perseuerauerit folia ferre, fructum uerò nullum dare, partẽ trunci iuxta terram forato, uel potius radicem, ut legit Palladius, & pinguis tedæ cuneũ in foramẽ trãsfigito, humanáq; urina affusa obruito: aut silicem sic insere, ut libro tegente claudatur. Theophrastus copiosiorem fructum

Quomodo fiant teneræ & dulces amygdalæ ex duris & amaris.

Quomodo ex sterili fiat fructifera amygdalus.

Vt fructum copiosum ferat amygdalus.

dare promittit, si ferreus palus arbori adigatur, impressóq; foramini querneus inseratur paxillus: quo modo in arborem animaduertitur, ac si iniuria lasciuiret. Vbi à pruina metus erit, Gargilius Martialis hoc remedio subueniri ait. Antequam floreat amygdalus radices nudentur, & albi lapides minutissimi, arenis remisti congerantur: atq; ubi iam tempus uidebitur ut debeat germinare, effossi submoueãtur. Porrò, inscripta nascentur amygdala, ut Democritus in suis adnotauit Geoponicis, & Palladius confirmauit, si aperta testa sanus tollatur nucleus ac integer, & in eo quod libuerit scribatur: inuolutúsque papyro, & luto intectus, necnon suillo stercore diligenter circumlitus obruatur. Itaq; de arbore & eius secretis hactenus. Cuius nuculas, quas & amygdala & amygdalas nuncupauimus, gemino operimento tegi nullus est qui non uideat: puluinati primũ calicis, mox lignei putaminis multos scarificatus sustinentis, & in rimulas uarias dehiscẽtis, cui solidus subest nucleus. Maturitatem fatentur omnes, ut tradit Florẽtinus, cũ spoliatæ fuerint corticibus. Quæ si muria lauentur, candidæ fient, ac lon-

Remedium aduersus pruinam.

Quomodo inscripta nascantur amygdala.

Pulcherrima pictura amygdalarũ.

Quando maturæ amygdalæ, &

quomodo seruandæ.

go tempore incolumes perseuerabunt: sed ante repositionem debent in Sole siccari. Si collectæ difficulter corium exuant, paleis obrutæ illud facilè relaxabunt ac deponent. Si illas ad magnitudinem mirandam prodire desideras, Persicorum caput consule. Quod ad longæuam attinet custodiam, absque ulla hominis cura, ulló ue externo auxilio diu seruari possunt, modò locum nactæ fuerint idoneũ & opportunum qui austris minimè pateat, & situm ac marcorem non admittat.

Medica.

Amaras amygdalas ebrietatẽ arcere.

PLutarchus tradit amygdalas, præsertim quæ amaræ sunt, ebrietatem arcere, quod de historia hunc in modum confirmat. Fuit, inquit, apud Drusum Tiberij Cęsaris filiũ, medicus quidã amaras amygdalas comessari solitus, qui omnes bibendi certamine prouocabat, neminíq; in ea palęstra cedebat. Is tandẽ deprehẽsus est, antè quàm biberet, quinas senás ue comesse, quo minus temulentia tentaretur.

Pulchra historia.

Porrò, cùm deuorare uetuissent cõpotores eius bibuli, ne pauxillũ quidem in huiuscemodi certamine resistebat. Plutarcho subscribit Athenęus, causam amaritudini

Cur amarę amygdalæ

tribuens, quæ resiccat & humiditatem depascit: nec sinit uenas impleri, quarũ distẽtione & perturbatu, temulentiam cõtrahi uolunt, effluuiis obsessa mentis arce. Rei huius euidẽs argumentũ esse potest, quòd vulpes amarorum pastu, atq; adeò amygdalarum, ut idem refert Plutarchus, certò moriantur, si non contingat è uicino aquã lambere, interno humore affatim ab his exucto. Quod & Dioscorides & Plinius etiam testatũ reliquerunt. Mnesitheus Atheniensis in eo libro quem alimẽtis dicauit, omnẽ cuiusq; generis nucẽ quæ ignem nõ fuerit experta, cibis pręcipit abdicandã, præter amygdala recẽtia. Cæterũ, quasdã torrefieri, alias incoqui iubet, ut ignis pinguitudinem absorbeat & ebibat. Vitiis pulmonum & renum ex aqua potæ succurrũt, & illinctu cum resina terebinthina calculosis medentur, ac difficili urinæ in passo. Gummi ex arbore spissandi uiribus pollet, & cruẽtis excreationib⁹ opitulatur: adhæc summæ cutis impetigines ex aceto illitum rapit & funditus abolet.

ebrietati pugnent.

Nuces quæuis igné non expertę periculosæ, exceptis amygdalis.

Pulmones, renes, calculus, dysuria, cruenta excreatio & impetigo.

Arboris Punicæ ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. XIIII.

NVnc demum agendũ mihi restat de arboribus quarũ fœtus admiramur, palpamus & gustamus, sed parentes ignoramus, non uidemus & desideramus. De Punicis, inquã, Aurantiis, Citriis, Limonibus, Ficu & Olea. Quæ tametsi in septentrionalibus hortis nostris & agris non nascantur, nec foueantur, de his nihilominus hîc scribere nõ detrectabo, ut labor noster, opera & studiũ, omnibus ex æquo prosit. Sanè huiusmodi arbores climati nostro cum suis fructibus usqueadeo sunt implacabiles & infensæ, ut nullis blanditiis, nullis officiis, nullis obsequiis apud nos habitare uelint, etiam si mitioribus locis hospitia illis designemus & offeramus: tãtus est patrię & nataliũ amor. Sed missa longiore pręfandi mora, ad rem uenio. Arbor Punica nostratib⁹ Granata vulgò dici solet. Cuius pomum unà cum arbore nobilitauit Chartago: indéque nomen sibi adoptauit. Calido aëre gaudet, & in locis minimè aquosis plãtatur, testimonio Florẽtini Græci, cui Palladius post Plinium suffragatur: addítq; solum macilentum ac cretosum amare, sed in pingui quoque prouenire. Seritur plantis de matrum radice auulsis. Sed

Mirus autoris candor & modestia.

Quo cœlo & solo gaudeat Punica.

Quomodo serenda Punica.

meliùs procedet, ſi ponendus ramulus de gemmata aſſumatur matre, & ſcilla radicibus immittatur: nam ita lętior ac fœcundior fiet. Si tres lapilli in radice cõſtituantur, prouidebunt ne poma findantur, quẽadmodum ſcripſit Palladius. Rigatum & purgationem deſiderat: ſoláq; hæc arbor, cum uite & ficu, caudice fiſſo non emoritur, breui alioquin uiuens ſpatio. Flos illi puniceus eſſe ſolet, oblongus & calathi effigiem repręſentans, aſpectu ſanequàm iucundo: balauſtiũ vulgus nuncupat. Quãquam non ſum neſcius Dioſcoridem ſatiuæ punicæ florem cytinum appellare, ſylueſtris uerò balauſtium: cui Plinius non ſubſcribit. Perdit facilè ante maturitatem fructum, roribúſque nimiis & pruinis florem: qua de cauſa ramos eius inflectunt coloni, ne ſubrecti humorem infeſtum excipiant & contineant. Prolem ſurſum uerſus procreat, quæ corio & membrana tegitur, farctis intus numeroſis acinorum granis, unde Granati nomen. Qua uoce utuntur antiquorum plerique cum Columella. Scio non deeſſe qui pomum hoc ita nuncupatum uelint à Granata regione Hiſpanię, quòd inibi numeroſa proueniant pu-

Ne findãtur Punicæ mala.

Flos Punicæ qualis.

Ne florem & fructũ amittat Punica.

Punicũ malũ unde Granatũ appelletur.

nica. Quæ triplici ſpecie à Dioſcoride diſtinguũtur: in dulcia, acida, & uinoſa ſeu miſta. In quibus & fructus, & acinorũ magnitudine, adhæc liquoris copia præcellũt uinolenta. Plinius ſpecies quinque fecit, dulcia ſcilicet, acria, miſta, acida, & uinoſa. Acida fieri credũtur, ſi aſsiduè rigẽtur, nam ſiccitas in his & ſuauitatem præſtat & copiam: cuius tamen nimietati, ut Palladiano utar uerbo, aliquid debet humoris opponi. Si ex acidis dulcia facere uoles, ſtercore ſuillo & humano, urináque uetere radices irrigabis, Columella autore. Quin & nos, ait, etiam exiguum admodum Laſer Cyrenaicum uino diluimus, & ita cacumina arboris ſumma obleuimus: ea res emendauit acorem malorum, & apyrenum, dulcémque fructũ fecit. Paxamus Græcæ agriculturæ profeſſor peritiſsimus, eam in rem arboris radices circũfodi iubet, ſuillúmque ſtercus ſublini, deinde terra ſuperingeſta, humano lotio rigari. Sed de hoc, inquit, in alio noſtro Georgico opere perfectiùs à nobis dictum reperies. Georgicum opus illud deſiderari intelligo, ut alia antiquorum pleraque, magna rei literariæ iactura. Rurſum ex

Punicorum ſpecies.

Quomodo punica fiant acida.

Quomodo ex acidis dulcia euadant.

Modus Paxami pulcherrimus.

Alius mod⁹.

acidis dulces facies, ſi ablaqueatis radicibus tedæ clauum infigas. Sunt qui algam marinam radicibus obruant, & ei aſininum ſtercus cum porcino remiſceant. Ne punica in ſua rumpantur arbore, remedio ſunt lapides tres ad radicem collocati, dum ſeritur arbor: quæ ſi iam ſata eſt, ſcilla ſecundum radices plantanda uenit. Aliter, cùm matura fuerint punica, antequam rumpantur, petioli quibus dependent ſunt intorquendi. Quæ res etiam præſtat ut anno toto uiridia ſeruari poſsint in arbore, quemadmodum ex Columella Plinius & Palladius adnotarunt: uel potiùs ex Florentini & Africani græcis Georgicis, & ij & ille tranſcripſerunt. Sed præter iam dicta, idem Africanus in excauatos ſcrobes, dum pangitur arbor punica, cochleas iniicit, ſi quidẽ reperiri poſſint: uel ſcillæ bulbos unà mittit, cœca quadam naturarum diſcordia. Tradunt in miram magnitudinem punica mala protuberare, ſi olla fictilis circa arborem obruatur, uel ita aptetur ut ramus cũ flore in illa claudatur, ad palum, ne reſiliat, illigatus, ipſáque olla contra aquarum incurſus operta muniatur: nam ſuo tempore poma eiuſdẽ

Ne findãtur punica in arbore.

Quomodo punica ſeruabuntur uiridia in arbore.

Quomodo in mirã magnitudinem creſcant punica.

magnitudinis qua fuerit, opportunè reddet: imò uerò ad illius rei figuram efformata, quam ollæ aut uasculo impresseris, quēadmodum tradit Gargilius Martialis apud Palladium. Qui etiam promittit Punicorum multitudinem, si tithymali & portulacæ succus æqualiter mistus, trunco arboris antequā germinet illinatur. Quod Democriti georgicis acceptum ferre debebat Palladius, nō Gargilio Martiali. Si florem non continet arbor punica, ueterem urinā cum aquæ mensura pari temperabis, & per annum radicibus ter infundes, uni punicæ amphora ingesta sufficiet. Sunt qui algam radicibus iungant: uel florētis arboris trūcum, plumbeo circulo concludant: aut anguis corio circundent, uel bis in mense irrigent. Si uermibus laborāt tam poma quàm arbor, radices felle bubulo sunt tingendæ, & continuò morientur. Si clauo æneo, vt alibi scripsimus, illos purgaueris, non facilè renascentur. Quibus etiam appositè obuiabis asini urina suillo stercori admista & radicibus affusa, ut tradit Palladius. Cæterùm, in sua arbore uiridia longo tempore permanebunt punica, ut scripsit Florentinus, si petiolos, uel potiùs ramulos, dum in

Quomodo cōparetur punicorū multitudo.

Quomodo florem cōtinebit arbor punica.

Quomodo à uermib⁹ defendantur punica arbor & eius poma.

Vt punica diu seruētur uiridia in arbore.

uigore sunt poma, semel atque iterum con torseris, & cucurbitas aridas ac rapa singulis circundederis, ne humectentur, aut ab auibus arrodantur. Si infœcũda fuerit punica arbor, fructuosam reddes cinere & lixiuio circa truncum frequenter infuso. Si ægrotabit & languida erit, curabitur recreabitúrque ubi caudicem iuxta radices, algis è mari proiectis contexeris, & assiduè rigaueris. Candidi fient punicorum acini, si argillæ & cretæ miscueris quartam gypsi partem: & toto triennio hoc genus terræ radicibus insperseris, de Gargilij Martialis consilio. Didymus in suis Georgicis testatum reliquit punica rubicunda fieri, si cinis cum lixiuio circa arboris truncum crebrò immittatur: aut glandium cinere radices saturentur. Sine acinis nasci promitttit Africanus si dempta medulla, ut in uite, surculus adobruatur, & dum comprehenderit, quod emergit amputetur. Sed hoc loco prętereundum non arbitror, quòd ramis punicæ gestatis, uenenatæ bestiæ procul arcẽtur: quapropter in stragulis & locis serpentibus obnoxiis illos securitatis ergo deponendos censent prisci rei agrariæ doctores & interpretes, sicuti libro primo admonui-

Remediũ infœcundę, languidæ & ægrotantis punicæ.

Vt cãdidi fiãt punicorũ acini.

Vt fiant rubicũda punica, & absq; acinis.

Punicæ ramos uenenata arcere.

Punicæ cum myrto sũma amicitia.

mus. Punica arbor myrti coniugio apprimè lætatur, ut tradit Democritus, & ob id myrto insita fertilior euadit. Vtriusque radices & si aliquanto distent interuallo, nihilominus mutuo complexu exhilarãtur. Quid amplius? Africanus in suis de agricultura Commentariis docet quomodo punico decerpto ex sua arbore, dicere poßis quot grana intus contineat. Pomum unum inquit, prius aperi, & quot acinos habeat dinumera, ac tibi in singulis tot esse persuade, etiã si magnitudo uariet, modò ex eadem arbore legantur. Nam sola differentia erit non circa numerum, sed magnitudinẽ aut paruitatem. His utcunque pro arbore & eius pomis expeditis, ad condituram, repositionem & tutam custodiam cõmodùm uenio. Berytius in suis de agricultura præceptionibus Græcis tradit, punica ad hybernos usus reseruanda leni manu decerpi oportere, ne tactu asperiore uitientur, aut vulnus sentiant (quæ duo putrilaginis originem adferre solent) deinde pediculis in coctam & liquidam picem demersis, refrigerata, ex ordine suspendi debere. Sunt qui tota in picem mergant, & ubi refrixerint, suspendant. Alij arentibus flocculis sigilla-

Pulchrũ inuẽtum de diuinatione acinorũ Granati.

Quomodo punica ad hybernos usus seruari debeant.

tim inuoluta, funiculis obſtringunt, ne tumeſcentia dehiſcant in rimas: poſteà gypſo undequaque illinunt & ueſtiunt: eóq; modo munita ac loricata, in parẽte arbore hęrere patiuntur: ſed maioribus ramis alligari debent, ut immota maneant, & uentorũ uim ſuſtineant. Palladius, & ante illũ Columella, ex Græcorum placitis, atque adeò unius Berytij, tradit diu ſeruari poſſe punica, ſi integra ut diximus, collecta, & lino ſpartó ue colligata, in aqua marina, uel feruente muria tandiu demergantur, ut liquorem combibant, & madeſcant: ſiue, ut legit Columella, tantiſper demittantur dum decolorẽtur: deinde Sole triduum reſiccẽtur, ſed ita ut nocte ſub dio non maneant: poſteà loco frigido ſuſpẽduntur: cùm uolueris uti, aqua dulci macerabis. Sunt qui in ſcobe querna prius aceto ſuffuſa ordinatim obruant. Alij argilla, uel figulari creta induunt, & ſiccata, loco frigido ſuſpendũt: atque cùm uſus exegerit, in aquam demittunt, & cretam reſoluunt. Plerique attactu illa inuicem ſeparant, & paleis diligenter operiunt. Columella pediculos pomorum ſicuti ſunt in arbore contorquet, ne pluuiis rumpantur, & hiantia diſpereant: deinde

Vt longo tẽpore ſeruentur punica.

Varij & pulchri modi cuſtodiendorũ Punicorum.

Ne rumpantur, aut interhient punica

ad maiores ramos alligat, ut immota maneant: mox ſparteis reſtibus arborem cludit, ne à coruis aut cornicibus, aliíſue auibus eius ſoboles laceretur. Sed ad Berytium de punicorum cuſtodia ſcribentem redeo. Is ſingulis fictilibus ollulis punica ſingula ex arbore pendentia collocat: & diligenter operta ita munit ac ſtabilit, ut neque ad ramos aut truncos offendant, uel mutuo colliſu ſeſe atterant & confringant. Cui Columella ad unguem ſubſcripſiſſe mihi uidetur his uerbis: Nonnulli uaſcula fictilia dependentibus malis aptant, & illita luto paleato arboribus hærere patiuntur. Alij fœno uel culmo ſingula inuoluunt, & inſuper luto paleato craſsè linūt: atque ita maioribus ramis alligant, ne, ut dictum eſt, uento commoueantur. Sed hæc omnia ſereno cœlo adminiſtrari debent abſque rore: quæ tamen aut facienda non ſunt, quòd lædantur arbuſculæ, aut certè non continuis annis uſurpanda: prçſertim cùm liceat detracta mala ex arbore, modis multis innoxia cuſtodire, ſicuti antea oſtendimus, & nunc demum etiam oſtenſuri ſumus. Palladius docet optimè ſeruari, ſi ſeriola obruatur ſub dio quæ habeat arenas ad mediū uſq;,

Pulchra & notatu digna ꝓ ſeruandis punicis.

Modi alij cuſtodiendorū punicorum.

& cum ſuis ramulis lecta mala imprimantur ſingula cãnis ſingulis, uel ſambuci uirgulis: & ita in dictis arenis ſeparata figantur, ut quatuor digitis emineant ab arena. Hoc idem paulò aliter & apertiùs Columella ſic eſt ꝓſecutus. Sub tecto, inquit, foſſulæ fiunt tripedaneæ loco ſiccisſimo: eóque dum aliquantùm terræ minutæ repoſitum eſt, infiguntur ſambuci ramuli: deinde ſereno cœlo granata leguntur cum ſuis pediculis, & ſambuco inſerũtur. Quoniam ſambucus tam apertam & laxã medullam habet, ut facilè malorũ pediculos recipiat. Sed cauere oportebit, ne minus quatuor digitis à terra abſint, & ne ſe contingant poma. Tunc factæ ſcrobi operculũ imponetur, & paleato luto circumlinetur, necnõ ea humo quę fuerat egeſta, ſuperaggeretur. Sunt qui in calidam aquam intincta, & ſtatim exempta diutisſimè incolumia ſeruant. Alij in ſiccam arenam diſtincta & ſecreta deponunt: aut in frumentario aceruo ad umbram, donec rugoſa fiãt, diligenter condunt. Plerique, ut Palladius adnotat, in ſeriola cui ad mediũ aqua mittatur, punica ſic ſuſpendunt, ne humorem tangant: quæ poſteà diligenter clauditur,

Artificiũ pulchrum & ingenioſum.

Inuentiones miræ pro ſeruandis punicis.

Viæ aliæ custodiendorũ punicorum.

ne uentus irrumpat. Alij in dolio hordei pleno ita collocant, ne se inuicem contingant: illúdque desuper operiunt. Non desunt qui illa cum ramulis arbori detrahãt, & creta figulari perlita, ubi diligenter maturuerunt, in Sole desiccant: deinde si quà rimam creta fecit, luto linũt, & rursum assiccata frigido loco suspẽdunt, quemadmodum scribit Columella. Qui hanc rationẽ postremam custodiendorum granatorum à Græcis geoponicis tacitè mutuatam, sic nobis proponit. In urceo fictili nouo (inquit) scobẽ populneam, uel iligneam substernere oportet, ac ita disponere ut scobs inter se calcari possit. Deinde facto primo tabulato, rursus scobem substernere, & similiter mala disponere, donec urceus impleatur. Qui cùm fuerit oppletus, licebit operculum imponere, & crasso luto diligenter oblinire. Omne autem pomum quod in uetustatem reponitur, cũ pediculis suis legendũ est: &, si absque arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis: nam ea res plurimùm ad perẽnitatem confert. Hactenus de punicorum repositione & custodia, in qua demonstranda & recensenda, si tibi prolixior sum uisus, factum id puta, quòd hæc

Notatu digna quia pulchra

Quomodo legẽdum pomũ quod uetustatem ferre debeat.

hęc ratio multa habeat communia cum reliquis pomorum generibus. Cæterùm, hîc non omittam quòd ex punicis ſeu granatis uinum medicatum fieri ſolet tali arte ac methodo. Acini maturi diligenter ex ſuis membranis ſecluſi, prælo committũtur ac exprimuntur: mox uinum ſaccis ad id accommodatis percolatur, & in uaſculis reponitur quouſque fæx reſidat: deinde clarũ cuſtoditur affuſo deſuper oleo ne corrumpatur, uel aceſcat. Sũt qui abſque oleo illud in cadis aſſeruent: ſed per æſtatem facilè aceſcit. Modi alij ſunt requirendi à conſultiſsimis agriculturæ & medicinæ profeſſoribus: nam ut dixit poëta, Nõ omnia poſſumus omnes. Illud interim non diſsimulabo quod apud Hieron. Cardanum legi; nimirum corticẽ punici mali ferrũ in chalybem mutare: ſed modum ſubticuit.

Quomodo fiat uinũ medicatum ex punicis.

Oleum ab acore uina tuetur.

Medica.

DVlcia punica, apyrena, ut monuimus uocata, ſtomacho inutilia eſſe Plinio cenſentur. Nam inflationes pariũt, ac dentes & gingiuas lædũt. Quæ uerò his ſapore proxima ſunt, uinoſa nuncupata, aluum ſiſtunt, & uentriculo, pauca duntaxat, proſunt. Hæc danda in febre nõnulli

Punica apyrena.

Aluus, uẽtriculus, febris,

uomitus & bilis.

negant: nec ſucco, nec acinorum carne utili. Vomentibus, ac bilem reiicientibus non probantur. Hæc Plinius: cui Dioſcorides per omnia ſubſcribere mihi non uidetur, tradens malum omne punicum boni ſucci eſſe, & ſtomacho utile, ſed perexiguum tamen ſufficere alimentum. Dulce ſtomacho utilius habetur, aliquantulum in eo gignẽs calorem, ac inflationes pariens: ex quo in febri abdicatur. Acidum aſtringit, æſtuanti ſtomacho auxiliatur, ac urinam ciet: uerùm ora gingiuáſque lædit. Cortex, malicorium vulgò dictus, quòd coria maximè perficiat, ſi in aceto mixta galla coquatur, mobiles dentes ſtabilire fertur. Cæterùm, punicum integrum olla noua, addito operculo, in furno toſtum, & contritũ, potúmque ex uino, aluum ſiſtit, ac eius tormina diſcutit. Flores quos balauſtia diximus appellari, fœminarũ menſes potu retinẽt. Sanant oris ulcera, tonſillas, vuulam, excreationes ſanguinis, uentris & ſtomachi ſolutiones, necnon genitalium ulcera, & alia quacunque in parte manantia. Tuſorũ farina, ut tradunt, dyſentericos à morte liberat. Nuclei acinorum maximè acidi punici, ſiccati, puluerati & obſoniis reſperſi,

Qualitates Punicorũ ex Dioſcoride.

Dentes mobiles, alui profluuium, tormina, mẽſes, oris ulcera & alia.

Dyſenteria, ſanguinis excreatio, ſtomachus, fœminea fluxio & lippitudo.

uel incocti, fluẽtem aluum, ſtomachúmq; cohibent: adhæc ſanguinẽ excreantibus ſalubriter bibuntur. Præterea utiles habẽtur ad dyſentericorũ deceſſus, & fœmineas vuluæ fluxiones. Memoriæ tradunt, inquit Dioſcorides, eum qui tres quàm minimos cytinos deuorauerit, nullam illo anno lippitudinem paſſurum.

Arborũ Citriæ, Aurantiæ, & Limonię, earumdemq; pomi cura, auxilia, & ſecreta. Cap. XV.

Citria arbor, quia apud Medos & in Perſide nata ac educata fuit, idcirco & Medica & Perſica Theophraſto, & Aſſyria Plinio uocari ſolet. Hanc gentes plurimæ ob remedij præſtantiam, fruſtra olim ſudarũt ad ſe transferre fictilibus in uaſis, dato per cauernulas radicibus ſpiramento. Plinij æuo in Italia non uigebat: primúſq; Palladius cultu & diligentia è Medis in Latium tranſtuliſſe ac propagauiſſe dicitur. Quem ſolers imitata poſteritas, & Galliæ & Hiſpaniæ ceu per manus tandem communicauit. Amat terram rarioris naturæ, quemadmodum ſcribit Palladius: adhæc cœlum calidum & humorem continuum.

Arbor Citri cur medica & Perſica dicatur.

Palladius arborẽ citri primus in Latiũ tranſtulit.

Quo ſolo & cęlo gaudeat malus citria.

Ipſa ingens arbos (inquit Virg.) faciẽq; ſimillima lauro:

Pulchra arboris Citri descriptio.

Et ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia uentis:
Flos apprima tenax.

Et Iouianus Pontanus:

Ipſa quidem lauro foliíſque,& cortice,& ipſo
Stipite tum ſimilis,tum frondeſcente iuuenta:
At cono inferior,ramíſque ualentibus impar:
Nam florum longè candore,& odoribus anteit.

Hæc arborũ omnium ſola ab auſtro opem ſentit,& ab aquilone læditur,autore Florẽtino in ſuis de agricultura Græcis rudimẽtis. Si quis in regione frigida illam nutrire & cicurare uolet, loco ad meridianam partem conuerſo debet diſponere, & hybernis menſibus ſtramine, aut tegetibus operire, & maximè cucurbitarum ſarmentis: nam ſympathia quadam illam à frigore illęſam ſeruare dicuntur: ut idem ſcripſit Florentinus. Hinc factum uideas, ut multi nõ ineptè prope citriam cucurbitas vbique ſerant: nam ab his iuuari creditur. Vbi æſtas refulſerit, nuda arbor aëri tuto eſt reddenda ac exponenda. Gaudet aſsidua foſsione, ex qua maiora proueniunt poma. Stirpis ea ſuapte natura tenerior, ſi paucam glaciem experiatur, ſyderata contabeſcit. Quare diuites in concameratis fornicibus ad Solem ſpectantibus, illam prope parietes collocant, copioſóq; humore ri-

Cucurbitas citriam ſeruare & iuuare.

Arbor citria frigoris impatiens.

gant. Dum æſtas aduentarit, apertis fornicibus, ut dictum eſt, Sole illuſtrari ſinunt: & eius tepore uitaliq; ſpiraculo foueri ac recreari. Appetēte rurſum hyeme ſub fornices reducunt. Seritur ſemine, talea, ramulo, & claua, ut in ſuis Georgicis græcis tradit Anatolius. Si ſemine uel granis ſerere ſatagis, hunc in modum de Palladij conſilio incedere tibi licebit. Imprimis terram ad duos pedes fodies, cinerémque miſcebis ac in breues areas digeres, ut utrinque per canales aqua diſcurrat. In dictis areis palmarem ſcrobiculū manibus aperies, & tria grana uerſo deorſum cacumine, iuncta cōſtitues, ac obruta quotidiano imbre reſperges: ut rigatione animata melius adoleſcāt. Acreis medullas in dulceis mutabūt, ſi per triduū mulſa maceraueris: citiúſque procedent, ſi aquæ tepentis beneficio utaris, uel ouillo lacte, quod præſtat. Seruntur etiam fictilibus, dato radicibus ſpiramento per cauernas. Natis germinibus proxima herba ſemper runcanda eſt, & planta trima transferenda. Quæ plurimùm iuuari creditur circunſitæ cucurbitæ flagellis: nam naturali & occulta quadam ui, illam, ut diximus, à frigorum iniuria uindicant. Ex

Quomodo ſemine ſerenda ſit arbor citri.

Quomodo acres medullas mutēt in dulces citria.

quo combustæ cucurbitarum uites, citri radicibus utilisſimũ præbent cinerem. Si arborem increſcens fructus degrauat, poma multa detrahere conueniet: ita enim alenda, uegetiore proficient incremento. Calidis locis partum nunquã alternat, ſed perpetua fertilitate pomificat: aliis pubeſcentibus, aliis adultis, aliis maturitate caducis. Vnde ſic gradatim illius ſuccedũt poma, ut maturis ſe ſubſtituãt acerba, acerborúmq; ætatem florentia conſequantur: orbem quendã continuæ fœcunditatis ſibi miniſtrante natura: quæ hanc fœturam non interpellat, ſicuti præclarè adnotauit Plin. Soli flores qui uelut eiectam in medio colum gerunt, fœcundi creduntur: qui uerò ea carent, ſterileſcunt, infertiléſq; labũtur. Porrò, hîc mihi diſsimulandum non eſt quòd hæc arbor aliis annecti recuſat. Cuius pomum, citrium vulgò nuncupatum, effigie rugis caperata, oblonga, & interdum rotũda, aureo colore ſuppallido illuſtratur, comite gratiſsimo odore, & acidulo ſapore. Non mandebatur Theophraſti ætate, ſed ne Plutarchi quidem auorum memoria, ut Athenæus ſcriptum reliquit. Parthorum proceres huius grana duntaxat incoquere

Remediũ arboris quæ à ſuo degrauatur fructu.

Mira arboris citri pomificatio & fœcũditas.

Pulchra deſcriptio & pictura citri pomi.

Summè notanda & ad-

ſolebant eſculentis, commendandi halitus gratia. Quod plerique ad folia detorquẽt, non minùs odorata quàm pomum ipſum. idcirco ueſtibus utrũque peraptè interſeri ſolet, ut eas ſuaui odore perfundat, & ab offenſis uindicet: unde Homerus & Neuius ueſtes citroſas cognominarunt. Si pubeſcẽs pomum, fictili uel uitro claudatur, per incrementa nõ ſolùm formã uaſis contrahet, ſed tanta magnitudine, quanta fuerit uas, extuberabit. Quod ſi effigiatum fuerit, formæ & imaginis ſpeciem incluſum pomum præ ſe feret: ſed uaſi oportet perſpirationẽ relinquere, ut anteà monuimus, hoc eſt foraminula addere, quibus aërem admittat, ex Florentini conſilio. Eſt alia uia & ratio effigiandi pomi à nobis ſuperius tradita, quãdo malorum hiſtoriã percurrebamus. Cæterùm, ſi rubra citri poma uoles efficere, ſurculum moro inſerito, & rubrum pomum dabit. Medium pomi dulce fiet, ut tradit Palladius, ſi trũcus obliquo foramine ab imo terebretur, ut altera parte non exeat: ſic humor effluere permittetur donec poma formentur: mox foramen luto replendum erit. Idem fieri affirmãt ſi ſemina priuſquàm ponantur, ouillo lacte, aut

uertẽda quia pulchra.

Quomodo citrium pomum naſcatur effigiatũ.

Quomodo rubra fiãt citria, & mediũ illorũ dulce.

Aliud ut citria fiant dulcia.

mellita uel ſaccharata aqua maduerint. Sed pulchrum erit his de rebus audire Iouianũ Pontanum, qui de Citriorum & Limoniorum mutãdo ſapore hunc in modũ ſcribit:

Ingenioſa, pulchra & notatu digna.

Quò non ars penetrat? palmes cædatur, & ipſe
Craſsior: in palmúmque cauetur, & undique labris
In girum ductis, nec pollice craſsiùs, illuc
Infer mella liquata, & grandi contege ſaxo,
Quod Solem auertat: poſtquam arida ſuxerit arbos
Iuclusum humorem, & ſitiens noua pocula gliſcit,
Mella cauo immerſans flauentibus imbue riuis.
Vel uacuam ſolers thymbræo nectare cellam
Diſtende, ac latices humano è corpore fuſos
Mollibus irrora radicibus: interea ne
Neglige frondoſum toto de ſtipite germen
Vellere: non deerit fœlix fortuna labori.

Iouiani Pontani laus.

Hactenus Iouianus Pontanus, poëta, orator & philoſophus ad unguem factus. Qui citriorum hiſtoriam in ſuis Heſperidũ hortis omnibus partibus docto ac eleganti carmine abſolutã reddidit. Hunc ſi uidebitur, leges & conſules. Venio ad citriorum cõditura m & repoſitionẽ ab antiquis acceptam. Itaque ſi aptè uoles citria colligere & optimè ſeruare, nocte cũ ſuis foliatis ramulis, latẽte Luna carpere debes, & ſecreta diſponere: autor G. Martialis. Sotiõ inter Græcos geop. celebris, ꝓmittit citria nullo modo putreſcere, quæ aceruis hordei aut milij obruta fuerint. Alij ſingula ſingulis fictili-

Quomodo optimè colligẽda & ſeruanda citria

bus claudũt, & opaco loco ordinata custodiũt. Pleriq; in minutis straminib9 seruãt: uel paleis, aut scobe lignea. Idẽ Sotiõ iubet pomũ citrij subacto gypso studiosè lini: ut toto anni curriculo inoffensa integritate, & omni uitio illæsum custodiatur.

Modi alij ualde notandi.

Hæc de citriis: de Aurantiis paucis dicendum: quorum arbor citriæ plantam magnitudine æquat, & foliis ab ea parum, aut nihil refragatur. Aurantia poma cùm auri colore pelluceant, ab auro nomen meritò accepisse mihi uidentur, ex quo aurea mala dici possunt. Quæ ex uiridi in luteũ languescunt, citreola & citrula nominãt. Quæ uerò ouata specie turbinantur, si luteo nitent colore, citrangula, & priuatim citrea appellant. Si herbaceo colore uirent, limonia dicunt. Si prægrandia sunt melonum modo & orbiculata, ouatáque facie turgent, ponceria & citromala uocitant. Quæ omnia specierũ uernacula nomina, à citrio deflexa uidẽtur. Cum quo cõmunia ferè omnia habere creduntur, tam auxilia quàm secreta. Quæ res me mouet ut de illis in pręsentiarum nihil ampliùs scribam. Trãsco itaque ad Limonia, quorum cura, cultus & auxilia cum citriis conueniunt.

Vnde dicta Aurantia poma.

Citreola, citrangula, limonia, põceria, & citromala.

Suntque in triplici differentia,

– altera fœtu

Tres limoniorum differentiæ.

Exiguo, ſuccos guſtu meditantur acerbos:
Altera ſunt fructu maiore, & rorida ſucco
Vberiore, ſed oblongo tamen utraque ductu:
Tertia prægrandi turgent ouata uolemo,
Ac citrij referunt ſinuoſa ab imagine formam,
Sed guſtu ingrato, quémque ora offenſa recuſent.
Eſt idem cunctis cultúſque, & cura, & iniquum
Cœlum indignantur, frigúſque, æſtúmque recuſant.

Qui plura uolet, conſulat librum ſecundũ Horti Heſperidum Iouiani Pontani: illic reperiet quo ſibi abundè ſatisfactum dicat. Hîc finem eram facturus, niſi mihi in mẽtem opportunè ueniſſet, quòd ſucco limoniorum bis aut ter colato, ſi integras margaritas lauabis & immerges, Solíque expones, in quinque aut ſex diebus ita colliquabis, ut mellis conſiſtentiam referant. Ex ea materia poteris formare quicquid tibi uiſum fuerit, & paucis diebus diues fieri. Autor Hieron. Cardanus, cui ingẽteis debentur gratiæ, ſi uera ſunt quæ tradit. Hîc non omittã quod apud Leuinũ Lemnium medicum doctiſs. ſcriptum & adnotatum legi: nimirum limoniis tam acidũ ſuccum ineſſe, & uſqueadeo exedentis naturæ, ut ſi ei per horas aliquot aureum numiſma inſeras, acciſo imminutóque pon-

Notanda de ſucco limoniorum margaritas colliquante.

Succũ limoniorum auro ſuum põdus eximere.

dere illud eximi deprehendes: nam penetrabile frigus adurit. Quãquam alia ſubeſt cauſa, quam, ut reliquis faciam locũ, prudens omitto.

Medica.

QVi de re ruſtica & medica ſcripſerũt Afri, Arabes, Græci & Latini, uno ore prædicant omneis, arboris Perſicæ pomum, citrium, ut diximus, vulgò nuncupatum, uenenis inimicum eſſe, illíſque antidoti loco efficaciter opponi. Quod celebri hiſtoria Athenæus confirmat. Cùm Princeps quidam Aegyptius, inquit, maleficos nebulones duos damnaſſet, quò ſuorum facinorũ meritas pœnas luerent, eóſque aſpidibus ſecundum Aegyptias leges in prædam exponendos dixiſſet, ij citrium in itinere, dum beſtiis futurum pabulum ducerentur, comederunt: quod caupona quædam uicem eorum dolẽs, illis dederat. Mox cùm in theatrũ deſcendiſſent, & à ferociſsimis feris demorſi eſſent, nihil moleſtiæ ſenſerunt. Quam rem Præfectus ſummè admiratus, à ſatellitibus percontari cœpit, num antidotum aliquod præſumpſiſſent. Reſpondentibus citrium tãtùm ex integra ſimplicitate do-

Citrium pomum uenenis aduerſari.

Hiſtoria mirabilis & notatu digniſſima.

Mira citrij uis in uenena.

natum eos in uia mãducasse, postridie iussit uni præberi, alteri uerò denegari, ac denuo in theatrum trudi ad suppliciũ. Quo facto, qui comederat, demorsus nihil incõmodi passus est: alter illato ictu undique liuidus factus, confestim interiit. Quæ res multis posteà probata, factóque frequenter periculo, tandem inuentum confessúmque fuit, citrium omni exitiali ueneno præsentissimum ac præstantissimum esse remedium: sumptúmque uenenatis ictibus resistere, donec concoctum fuerit. Si quis huic historiæ fidem non habet, fidelem ueracémque Theopompum Chium consulat: ab eo discet Clearchum Heracleotam Põti tyrannum multos ueneno sustulisse, pluréisque necare uoluisse, si excellentissima citrij uis à populo cognita, uenenis non restitisset. Quod nonnulli etiam rutæ ascribunt, quemadmodum in eius historia diximus. Citria itaq; uenenis efficaciter aduersantur: & maximè illorum semen tritum, & ex uino generoso propinatum. Quam rem etiam præstabit succus: nam per uentrem toxicum excludit. Sed ea in re Virgilium egregiè philosophantem audire molestum non erit.

Citriũ omni exitiali ueneno prodesse.

Vtilitas ex citrio.

Seminis citrij usus & uis.

Media(inquit)fert tristeis succos,tardúmque saporem
Fœlicis mali:quo non præsentius vllum
(Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscuerúntque herbas, & non innoxia uerba)
Auxilium uenit,ac membris agit atra uenena.

Virgilij testimoniũ de citrio.

Deinde subdit,

- animas & olentia Medi
Ora fouent illo,& senibus medicantur anhelis.

Si cruda manduntur citria, non facilè coctioni obediunt, quin & crassum generant succum: ob id illis melle aut saccharo conditis uesci satiùs esse putant medici: quòd ita uentriculum excalfaciant ac roborent. Quod non obseruans hæc nostra ætas gulę nimium indulgens, cruda citria in cibis, parum prudenter cum assatis carnibus esitanda proferre nihil cunctatur. Aduersus atram bilem, & morbos mœstos quos illa excitat, egregiè opitulantur. Succus flauã bilem reprimit, arcétque pestis contagia. Proinde recentiores medici ad febres pestilentes serapiis è citrio confectis fœliciter utũtur. Semen priuatim scorpionum ictibus & potum & appositum mirificè prodest. Si quis integrum pomum in iure coquat, uel in alio liquore, expresśísque interaneis, succum sorbeat, suauisśimũ halitum sibi conciliabit. Idem, ut sua fert natura, cum semine in melle coctum donec in

Citria cruda coctu difficilia.

Bilis atra & flaua, pestis & scorpionũ ictus.

Notãda pro conciliando suaui halitu, & impediendis uenenis.

ius tabescens resoluatur, si quis ex eo iure percolato manè binos ternósue trãsuersos digitos hauriat, ab omni ueneno immunis erit. Res in pestilentibus contagiis mihi & amicis sæpenumero probata. Hoc sit postremum pro citriis, ut aliis suũ præbeam locum. Si calido pani superponantur celeriùs putrilaginem concipient, & in corruptionem promptiùs agentur.

Quomodo celeriter putrescãt citria.

Aurantiorum tria obseruantur genera, dulcia, acida, & ex iis mista, vulgò acidodulcia nuncupata. Dulcia omnibus partibus excalfaciunt: aliorum succus refrigerat, pro maioris & minoris aciditatis ratione. Quocirca febricitãtibus ad extinguendam sitim optimè exhibentur. Cortex omnibus calidus & igneus cẽsetur esse: quod gustatu deprehenditur: nam acer est ac amarus: cuius succus in flammulam lucernarum iaculatus, ignem facilè concipit: transitque in uinum contra uitreum calicem uel è longinquo expressus: digito mador deprehenditur, & infusus liquor corticem redolet.

Aurantiorũ genera & facultates.

Pulchra & notatu digna de cortice mali aurãtij.

Limonia citriis & aurantiis omnibus gustu acidiora esse solent: & ob id succo frigidiore ac sicciore prædita. Ex his sera-

Limoniorũ facultas.

pium conficitur ad restinguendũ bilis feruorem mirè efficax, & ad pestilẽtes febres ac eas quæ contagione serpunt. Sed illud non prætereundum, quòd

Admotus foculo limon, sensimque recoctus
Instillante anima, ac tenuem conuersus in amnem,
Ora puellarum maculis lauat, & candorem
Inducit nitidis per colla argentea guttis.

Pro emaculanda facie puellarum.

Hodie calenti balneo aqua illa elicitur uitreis organis ex limoniorum succo: quæ præterquam quòd mulieribus summè expetitur, ad faciem fuco expoliendam & erugandam, etiam uitiligines ubicunque sint, & totius corporis maculas emendat, ac uaros delet. Eadem aqua serapiis idoneis remista, acutis febribus & contagiosis fœliciter succurrit. Quod nos frequenter sumus experti.

Fucus faciei, uitiligo, uari, acutæ febres & contagiosæ.

Arboris Fici, ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. XVI.

FIcum Columella tradit aprica loca, calculosa, glareosa, & interdum saxosa maximè amare. Quo in situ celeriter conualescit, modò scrobes amplos & idoneos feceris, & altos, ut vult Palladius. Qui genus terræ durum, gracile ac siccũ, ei etiam quadrare scribit, pro utili pomo-

Quibus locis gaudeat ficus, & quæ terra ei quadret.

rum ſapore. Quæ in montanis & frigidis locis naſcitur, quia minus lactis habet, ad ſiccitatem durare nõ poteſt: quare uſus illi in uiridi eſt. Quæ in planis & calidis locis uiget, pinguior eſt, & ob id, in ſiccitate durabilis. Sanè, cùm delicatula ſit planta, facillimè perit à glacie, ac citò à uentis diſrũpitur. Quare ab his ſummè eſt tutanda, quemadmodum in ſuis Georgicis admonet Didymus. Qui multitudinem aquæ, & crebram rigationem, pomorũ arboris huius naturalem pulchritudinẽ corrumpere, iiſque putrilaginem conciliare tradit. Nec omittit arborem hanc ſemine prouenire poſſe, ſi quis maceratas ficos reſti obducat, & cum eadem obrutas frequenti imbre irroret. ſic enim complures emergent arbuſculæ, quas oportebit transferre in ſcrobes. Si quis uiuiradicem pangat, ſcillæ bulbos interiiciat, aut muria madefactam collocet. Præſtabiliùs tamen fuerit, ſiue plantulam, ſiue ramulos ſeras, bubulo fimo madefacere. Sunt qui calcem uiuam cum plãta adobruant, ut idem prodit Didymus, arbitrantes ſic ſatam ſuo domino nequaquã decoquere. Alij rubricam ablaqueatis radicibus adiiciunt, alij uerò cinerem. Iuxta

Vtra præſtãtior ficus, in mõtanis naſcens, an planis.

Ficum non ferre glaciẽ, uentos, nec aquas.

Quomodo ſemine proueniat ficus.

Iuxta scillã sata Plinio lætior euadit: imò uerò ocyus augetur, minúsque uermibus infestatur: quæ senescens fertilior esse solet, quàm adolescens: excitato puluere non solùm uirescit, sed etiam increscit ac proficit: ad quem vsum ficos solent suffodere coloni, cùm puluere opus fuerit. Non desunt qui radices amputandas contendant, & cinere obstruendas, caudice passim vulnerato: copiosiorem fructum inde sperantes. Recidenda sunt in ea arbore, quæ aut putria aut malè nata reperientur: alioquin locis humectis pomum dabit saporis obtusi: circũcisis contra hoc radicibus, aliquantus cinis debet apponi. Hæc ex fructiferis una est quæ nunquam floret, ac breui tẽpore in ficeto uiuit. Cui caprificus permittitur, ne ante maturitatem fructus amittat ac uermes creet, quibus alioquin summè est obnoxia: adhæc, ut non sit necesse per singulas arbores ficulneas, caprifici poma in remedium suspendere. Si hoc desit, abrotani uirga, ut docet Palladius, suspenditur: aut callum quod in vlmeis foliis inuenitur. Si id rursum non fuerit in manu, arietis cornua circa radices obruentur. Vel truncus ipsius arboris, qua parte

Ficus senescẽs fertilior quàm adolescens.

Ficus sola ex fructiferis nunquam floret, uermib⁹ summè obnoxia.

Ne ficus fructus amittat.

turget, ſcarificabitur, ut poſsit humor effluere. Si uermibus laborauerit, ramum terebinthi, uel lentiſci taleam cum plantis fici, cacumine inuerſo ponemus. Perdentur uerò calce uiua radicibus inſperſa: uel in cauas trunci parteis miſſa. Sunt qui æreis uncinis illos tollant. Alij amurcam, alij ueterem urinam ablaqueatis radicibus miſcent: adhæc bitumen & oleum. Si uoles ut ficus ſua poma ſerò proferat, hoc eſt ſi maturam ficum cupis ſerotinam facere, ſecretum id docentem Columellã auſculta. Cùm groſſuli, inquit, minuti erunt, id eſt cùm fabæ magnitudo illis fuerit (ut interpretatur Palladius) ex arbore decutito: hoc faciens coges ut alterum fructum edat iterum, cuius maturitatem in hyemem ſeram differet. Summè prodeſt ſimul atque folia agere cœperit, rubricam amurca diluere, & cum ſtercore humano ad radices profundere: nam res ea uberiorem fructum, & pomi farctum ſpecioſius ac plenius efficit. Prodeſt inſuper cum frondere incœperit, acutiſsimo ferramento ſumma cacumina nonnunquam amputare: ſic enim firmior fit arbos ac feracior. Democritus in ſuis Georgicis aſſerit ficũ po-

Remedium aduerſus uermes.

Vt ficus ſerotina ferat poma.

Vt fructum uberiorẽ ferat ficus.

morum iacturam nō facere, si caudex mororum succo fuerit illitus. Adhæc fructum non abiicere ægrotantis modo, si radices sale ac marina alga, aut fuco marino, ut legit Ruellius, obducantur. Vel si quadrantibus Lunæ caudices rubrica oblinantur: aut caprifici grossuli, uel intorta ex his serta arbori suspendantur. Addit ille idem Democritus, quòd si Pleïadum emersu quis in excauatum scrobem pares aquæ & amurcæ portiones mistas, circa truncum infundat, arbor sui fœtus tenax, pomum nequaquam abiiciet. Ad quam rem Palladius cancrum fluuialem cum rutæ ramo eidem arbori suspendit, aut fascem lupinorum: præcipítque terebratæ arbori nonnunquam cuneū defigendum: uel securi corium illius sæpè proscindendum. Si syluestrem mansuefacere uolueris, amputatos ramos uino & oleo per septem dies irriga, & optato potieris, quemadmodum scripsit Africanus. Si scabie laborauerit, curabis ex Leontij præscripto, scilla iuxta radices plantata: aut rubrica aqua diluta, & circa truncum affusa. Si arbori molestæ fuerint formicæ, rubricam butyro & pice liquida mistam circa trun-

Quomodo ficus fructū non abiiciet.

Vt ficus sui fœtus sit tenax.

Vt syluestris ficus māsuescat & scabie liberetur

Ne molestæ sint formicę.

cum induci iubet Palladius. Sunt qui pro amuleto coracinum piſcem arbori ſuſpendant: de quo & auxiliis aliis, libro primo abundè ſcripſimus, ad quem ſi uidebitur recurres.

Quomodo fiant præcoces ficus.

Democritus promittit ficus præcoces, ſi columbinum fimum, piper item ac oleum radicibus indideris. Idem etiam continget de Palladij conſilio, ſi ſucco lõgioris cepæ cum oleo & pipere miſto, poma inunxeris, quando groſsi rubêre incipiunt.

Vt fructum uarium exhibeat ficus.

Cæterùm ut fructum uarium ficus exhibeat, ita ut pomum altera parte nigreſcat, altera uerò candicet, ſic coitum cum aggredieris. Duorum ficorum diuerſorum ſemina ſiue grana linteolo deligata, ſere: & cùm res poſtulauerit arbuſculam transfer adultam.

Vt ficus naſcantur inſcriptę.

Si ficus inſcriptas uel figuratas tibi comparare uoles, ficulneum oculum ea quam cupies figura inſcribito, & poma hac ſpecie inſignita habebis, ſi non mentiuntur Democriti græca Georgica.

Vt ficus ſint deiectorię alui.

In quibus etiam tradit, quòd ſi quis fici eſu alui deiectionem moliri cupiat, ueratrum nigrum cum lactuca marina ſeu tithymalo tritum, radicibus arboris eius quæ deponetur, debet inſerere: hinc quæ naſcentur poma uentrẽ mouebũt. Res

eadem fiet, si purgantia alia simplicia, ut lo quũtur, addideris. Cuius rei experimentũ etiam in aliarum arborum pomis, ut anteà diximus, tibi facile erit. Illud ex Columella hîc nequaquam prætereundum duxi, ꝙ decocta caprificus & cum cibo alitibus atq; gallinaceis exhibita, ficorum fastidiũ illis creat, quorũ alioquin sunt appetentissimi. Addo ꝙ succo ficuum satiuarum lac à plerisq; cogi solet, syluestriũ uerò nequaquã. Quod vnum, si ad ignem tepefiat, ficíque ramulo moueatur, idẽ, testante Africano, præstabitur. Imò uerò & succo ex uulnerato fici cortice stillante. Si ficus celeriter maturescere uoles, ubi ad iustam magnitudinem creuerint acu perforabis, oleóque illines, deinde oliuæ foliis circunteges, ac ligabis. Autor Petrus de Abano. Sed nec istud hoc loco mihi est dissimulãdũ, quòd tam passæ, q̃ recentes ficus, panis ac obsonij vicem olim habuerunt: eóq; cibo prisci athletæ uires aluerunt priusquam Pythagoras exercitator eos ad carnes trãstulisset. Sale inueteratis etiam casei loco uesci excogitatũ est, Plinio autore. Hîc duo prodigiosa naturæ miracula mihi in mẽtem ueniunt. Vnum tauros quamlibet indomitos

Vt alites ficus nõ attingant.

Quomodo lac cogatur absque coagulo.

Vt ficus celeriter maturescant.

Pulchra & notatu digna

Tauros feroces à fico cicurari.

& feroces, fico alligatos cicurari, & immobiles cõquiescere. Quòd & caprifico illorum collis circundatę, Plinius ascripsisse mihi uidetur. Alterũ, uictimas, cæsorũq; animaliũ carnes perquam celeriter tenerescere & fragiles effici quæ in fico pependerint. Postremi rationem in Symposiacis plutarchus petiuit. Cùm inter obsonia Aristionis, inquit, coquus immolatũ Herculi gallinaceum gallũ recentem, tenerum ac penè friabilem obtulisset: tam citam teneritudinem fico referebat Aristion, contendens iugulatas aues etiam præduras teneritatem contrahere, quę pensiles fico adhæserunt. Causam adfert, ꝙ auram, halitũq; uehementem ac digerẽtem expiret ficus, quo carnes desiccãtur & cõcoquuntur. Idem etiam continget, ut id obiter admoneam, si tritici aceruo obruantur, aut penitus demergantur. Hæc de parẽte arbore satis: uenio ad sobolem, & eius custodiam.

Carnes ad ficum suspensas tenerescere.

Cur iugulatę aues tenerescant in fico pensiles.

Ficus seruari possunt uirides, ut scribit Africanus, & cõfirmat Palladius, si in melle ita disponantur, ut neque se inuicem, neque uas contingant: quod operculo diligenter tegi debet. Idem continget si singulæ intra uiridem cucurbitam claudantur,

Quomodo seruentur ficus uirides.

loculis unicuique cauatis, & ſuſpenſa in umbroſo loco cucurbita, ubi nec ignis, nec fumus inſpiret. Verùm, cum petiolis legi debent, nam ſic diutius integræ durant. Alij calicem uitreum, aut aliud quoduis perſpicuum poculum ſuper ficos leuiter inuertunt, & obducto cera ſpiramento ita relinquunt, ac immarceſsibiles ſeruãt. Scribit ille idem Africanus muſteas, ac ſi in parente eſſent, hunc in modum cuſtodiri. Cùm uinaria dolia operculantur, in nouũ fictile nõ rotundum, ſed potiùs ex arbitrio quadratum, fundóque fultum, recentes ficus minùs maturas, cum ſuis pediculis lectas, immitte: & ita ſecerne, ut ſpatium intercedat: ubi diligenter fictile illud clauſeris, in dolio uini pleno, ad unguem operto, natare permitte: niſi acorem contraxerit, tali habitu ficus manſiſſe comperies, quali conſtabant dum iniectæ fuerunt. Quòd ad aridas attinet, quas Iſchadas uocant, Paxamus in Græcorum agricultura exercitatiſsimus, ſcribit à putrilagine uindicari poſſe hunc in modum. Paſſæ ficus, inquit, ſine ulla carioſæ labis nota integræ manebunt, ſi tres liquida pice imbutæ ita collocentur, ut una fictilis fun-

Quomodo dulces ſeruẽtur ficus ac ſi eſſent in arbore.

Quomodo aridæ ficus à putrilagine uindicentur.

dũ obtineat, altera referto ficubus ad medium uaſe, ibidem reſideat, & tertia eodem ad fauces uſque cõpleto, ſuperficiem teneat. Durabunt inſuper, ut ille idem tradit, ſi in tegete, qualo, ſporta, uel cratibus inditæ, calfacto furno, poſt panem exemptum, propendeant: & in noua, ac bene picata fidelia condantur. Sunt qui cum pediculo lectas, ferueſacta muria cum oleo, in Sole rigent: & in uas, luto, ut decet, oblitum, immittant. Alij, cratibus exponunt, toto Sole ſiccãdas, & nocte ſub tecta reportant. Modos alios cùm ex Columella, tum Palladio requires. Sed in hac ficuum hiſtoria tacendum non eſt memorabile Catonis ingenium: Is dum perniciali odio Carthaginis flagraret, & nepotũ ſecuritatis anxius eſſet, clamarétque omni ſenatu Carthaginem delendã, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea prouincia ficum. Quem, ut ſcribit Plin. Patribus oſtẽdens: Interrogo uos, inquit, quãdo hoc pomum demptum putetis ex arbore? Cùm inter omnes recentem eſſe conſtaret: Atqui tertium, inquit, ante diem ſcitote decerptum Carthagine: tam propè à muris habemus hoſtem: ſtatímque ſumptum

Varij modi cuſtodiẽdarũ ficuum.

Modus popularis.

Pulchra hiſtoria & notatu dignisſima.

eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt, & ſequente anno raptus Cato. Qui unius fici argumento, res mira, tãtam urbem, & de terrarum orbe unam per cxx. annos Romanæ gloriç æmulam, funditus euertendam ſuaſit, & tandem impetrauit. De ficu hæc ſatis ſint. Sed ô me obliuioſum! priuſquam hinc abeam, illud ſilentio nequaquam inuoluam, quod Plutarchus tacitũ noluit. quid illud, inquies? equos & aſinos linqui animo, qui ficos dorſuarij comportarint: ſed maiore miraculo dignum eſt remedium, quo & ipſis, & hominibus quoque ſuccurritur. Exanimata ferè iumenta, extinctóſque penè deliquio uiriũ homines obiectus panis reuocat: nãque ſi pauxillum huius uorauerint, protinus cibo ſeſe recolligentes roborantur, & priſtinum iter proſequuntur. Nec ſecus in hominibus eueniſſe, idem prodidit Plutarchus. Brutũ, inquit, per altas niueis in Apolloniam proficiſcentem cùm animus defeciſſet, panis ab hoſte muros urbis defendente proiectus, extempore recreauit. Potitus tandem rerum Brutus, de hoſte bene meritus eſt. Sed hæc nihil ad ficum: cuius medica præſidia nunc demum aggredior.

Mira de equis & aſinis dorſo ficos portantibus.

Magna panis efficacia ad animum ſtatim reficiẽdũ.

Medica.

Vocis ſtudioſos ficis abſtinere debere.

DEmetrius Sceptius admonet ſtudioſos uocis debere ficis abſtinere: motus exemplo Egeſianactis Alexandrini, qui optimus tragœdiarum actor eua ſit, quòd ficis annos octodecim abſtinuiſſet. Meliores ac ſalubriores habentur quæ Solis uigorem expertæ, per naturam ematuruerunt. Quæ multo turgent lacte, aut aquoſo madent ſucco, & ſi palato ac ſtomacho gratiores uidentur, grauiores nihilominus, ponderoſioréſque cenſentur: & ob id faciliùs deſcendunt, ac aluum ad excretionem proritāt. Eubolus medicus eſu meridiano illas abdicauit, morbum inde concipi teſtatus, quòd ſtatim febris accelerans inuadat, quæ uomitum flauæ bilis elicere ſolet. Quare Ariſtophanes cùm æſtate ægrotātem quendam conſpexiſſet meridiādo, ficubus uſum præſagiit. Quod de muſteis & adhuc humentibus intelligendum arbitror: aut ſi mauis de recentibus, quæ etiam ſudores & papulas mouent, ob id autumno inſalubres putantur. Coctæ cũ hyſſopo corpus expurgant, tuſſim ueterem abolent, ac longa pulmonum uitia emendāt. Cùm ruta colico dolori & torminib⁹ ſum-

Recētes ficus & aquoſæ, quomodo aluum moueāt

Pulchra & notatu digna.

Sudores, papulæ, tuſsis, pulmonũ uitia, colic⁹ dolor & tormina.

mè prosunt, decocto ore sumpto, uel clysteribus opportunè iniecto. Duritias in corpore tritæ & appositæ discutiunt, ac parotidas & furunculos emolliunt. Hydropicis in uino & absynthio cum farina coctæ & subactæ salubriter illinũtur, & crematæ cũ cera pernionibus auxiliantur. Addo quòd podagris cum farina fœni græci & aceto utiliter admouentur, ac doloribus dentium recẽti succo in lana aut gausapio excepto & apposito, perpulchrè medẽtur. Qui succus etiã uerrucas carne circumlita tollit: præsertim myrmecias nũcupatas, quę quẽdam pungentis formicæ sensum repræsentant.

Parotides furunculi, hydrops, pernio nes, podagra, dentium dolor & uerrucæ.

Bubulis carnib⁹ si ficulneos cauliculos addes, magno lignorũ compẽdio illas percoques, Plinio autore: quod caprifico tribuũt multi. Fit è cinere ficus crematis ramorum fruticibus lixiuia, quæ eò melior erit quò sæpius iterabitur & ueterascet. Ea, ut tradit Dioscorides, ulceribus quæ gangrenę uitio periclitantur multùm prodest, necnon cõsumendis iis quæ excrescunt: usus erit ex spongia eo liquore imbuta, & subinde superposita. Eadem salubriter perlinuntur grandes & cuniculosi sinus: nam glutinat, carne replet, astringit, absterget, hiantésq-

Vt citò & facilè coquantur bubulæ carnes.

Cineris ficulnei usus & præstantia.

que oras committit, non ſecus atque empla ſtra quæ cruentis uulneribus admouentur. Sed Galenum de ficuum facultatibus diſſerentem audire pulchrum erit. Ficus, inquit, tametſi minus praui ſucci gignant quàm cæteri omnes non modò fugaces, ſed etiam autumnales fructus, non tamen uitium prorſus effugere potuerunt. Et cũ autumnales fructus omnes exiguum corpori alimentum præbeant, minimè ficubus id uſu uenit. Carnem tamen non compactã, neque firmam generant, ceu panis & ſuilla caro: ſed turgidulam, ſubinanem, & fungoſam, ueluti fabæ. Cæterùm, extergendi facultate pollent, cuius gratia nephretici poſt illarum uſum multas arenulas excernunt. Caricæ ſeu ficus paſſæ multiplicem utilitatem habent: ſi quis tamen largiùs eſitauerit, ab eis offendetur: nam ſanguinem non admodum probum gignunt: quapropter pediculorũ quoque agmen eas comitatur. Fit ex ficubus, ruta, & nucibus, celebris & mirabilis illa Mithridatis antidotus cõtra peſtem & uenena: cuius compoſitionem exhibuimus in nucis hiſtoria. Hîc mihi omittendum non eſt quòd uerrucæ foliis ficulneis contactæ aboleri ac uaneſcere

Ficuũ facultas ex galeno

Quã carnem generẽt ficus

Ficuum uſus largus inſalubris & pediculorum autor.

Verrucas ficulneis foliis contactas uaneſcere.

traduntur, si folia ipsa posteà sepeliantur. Sunt qui cordi columbi idem tribuant. Sed de iis à nobis alibi scriptum.

Oleæ satiuæ ac eius baccarum, cura, auxilia, & secreta.

Cap. XVII.

FLorentinus Græcæ agriculturæ professor consultissimus, de plantatione & cura Olearum in suis Georgicis disserens, scribit oportere eum qui rei rusticæ studio tenetur, plurimùm prouidentiæ ac diligentiæ circa oleam adhibere. Vel ob id quòd magnos habeat redditus & certos, hominémque citò ac facilè ditare posit: sicuti de historia Pliniani Democriti, uel Aristotelici Thaletis constat, quam tibi sub finem primi libri proposuimus. Sed, ô dolor! nobis non tam licet esse beatis, ut hanc arborem uerè diuinam, septemtrionalibus hortis & agris nostris pasim uideamus, colamus, & ex ea fructus usqueadeo uberes ac dites percipiamus: inscrutabili Dei opt. max. consilio, qui omnibus omnia non dat: sed quod bonum atq; utile nouit. Neque tamen ob id laborē detrectabo, ut quæ de illa, & eius baccis, necnon oleo scitu di-

Plurimū diligentiæ circa oleam adhibendum.

Oleam septētrionalibus hortis & agris desiderari.

gna legi, uel audiui, candidè & ingenuè, ut omnia, in medium proferã. Venio itaq; à uerbis (quod dicunt) ad rem. Olea, quã Gallicum vulgus oliuerum nuncupat, siccis collibus & argillosis maximè gaudet, feruidúmque & squalidum cœli statum libenter amplectitur. In humidis campis & pinguibus frondes quidem lætas, sed plerunque steriles profert, rubricosum solum prorsus repudians: quòd suo æstu stirpes eius exurat. Sed longè magis salebrosum ac scaturiginosum odit, in quo semper uligo cõsistit: ibi enim strigosas & minimè altiles baccas, faciléque marcescẽtes procreat. Itaque arduis locis & accliuibus summè oblectari solet: quòd propitium illic nacta uentum, suæ nihil expiret saliuæ. In his enim excellens Solis æstus, uentorum afflatu mitescit: quare ibi olíueta generosam suis oliuantibus oleam, ac pręstantissimum prębẽt oleum. In planis & campestribus, quia non difflantur, sed aduruntur, crassiùs & fæculentius oleum extillant. Nec temerè, mea sententia, nam cùm stirpes omnes, tum maximè oleę, aduerso flatu roboratę, summè uigent. Vel eo argumento & indicio, quòd lętiores & uirentiores his parti-

Quibus locis & quo cœlo gaudeat olea

Quodnã solum repudiet olea.

Vbi generosæ nascantur oleæ.

bus ſemper offendes, quæ uentis patent: triſtiores uerò & languidiores, quæ à flatu ſilent. Recreantur itaque ſpiritus nouitate, modò id ſpatij intercedat, quo liberè peruagetur aura. Autores ſunt horũ omnium poſt Pœnos & Græcos rerum agri ſcriptores, agriculturæ noſtræ, Latinæ inquam, parẽtes & doctores eximij, M. Cato, Varro, Columella, Plinius, Palladius, & recẽtiores alij plerique. Apud quos etiam lego oleam fici ſocietate imprimis gaudere: unde iuxta illam ſeri præcipiunt, nõ ampliore interuallo, q̃ ut cõtingi largè poſsit, ramo oleæ maximè ſequaci atq; obedituro. Huius ſtolones qui ſeminio deſtinabũtur, caudicib⁹ adnati legi nõ debẽt, ſed decerpti ramis ſurculi longitudine cubitali: dandáque eſt opera, ut ſtylus parte ima bubulo fimo cum cinere illinatur, & ſectione cortex non uioletur nec collidatur, ſcrobéſque ſinu concamerato excauetur, ut imbrium ſit capax. Non deſunt qui ſectas ab imis radicibus ſoboles deponant: poſteà cùm prehendiſſe uident, ut mutationi locus eſſe poſsit, transferunt. Sed maximum fuerit beneficium ut incremento proficiant, antè quàm transferantur, & rubrica partes cœli

Oleas recreari auræ & ſpiritus nouitate.

Oleas fici ſocietate gaudere.

Quomodo ſerenda olea.

Pulchra & notatu digna ꝑ transferenda olea.

notentur, ut tradit Columella, quibus obuersæ stant, ut simili ratione ponantur, ac transplantentur, eosdémque uentos excipiant, ac similes parteis intueantur. Scrobes ante sationem fodiendi sunt: ut Sole, uentis, & imbribus, terra fragilior reddatur, ac stirpes ultro citróque radices liberè agant: quæ iugi rigatu gaudēt: nam ita celeriorem edunt germinatum, faciliúsque transponuntur. Cęterùm, locus quem oleis destinaueris, diligenter runcandus est omníque alterius generis frutice extirpandus: adhæc maceriis aut sepibus uiuis cingendus, ut Didymus Græcus in suis admonet georgicis, ne pecori facilis pateat aditus. Fimi aggere impensè lætantur oleæ, ut scripsit Sotion: sed locis uliginosis parcius debet iniici: aliis largius, quòd fimo saturatæ lętius frondent ac fœcundantur. Cæterùm, opportunè resecare licebit quæ marcida & sicca erunt, ut liberalius difflentur reliqua: adhæc ramulos detrahere qui inuicem incumbunt, inflexósque & recuruos amputare: præsertim cùm in nimiam longitudinem exeunt, & in deformē proceritatem luxuriant. Nam inter omnes rei rusticæ prudentes conuenit incommodam ac in-

Præparatio soli oleas recepturi: ubi de stercoratione.

Quomodo purganda & curanda olea

Quanta debeat esse ole-

ac ineptam eſſe longitudinem olearũ, quæ denos cubitos excedit. Addo quòd incrementum noxis omnibus patere ſolet: franguntur enim rami uentorum impetu, & flores aut fructus ſuccuſsi, intẽpeſtiuè procidunt. Ideo multi ramos terram uerſus retrahunt, ut arborem in ſolum procũbere cogant. Sed ante omnia meminiſſe oportet quòd compluribus interpoſitis annis oliuetum putandum eſt: conuenítque ueteris prouerbij meminiſſe, Eum qui arat oliuetum rogare fructus: qui ſtercorat, exorare: qui cedit, cogere. Itaque octauo anno id feciſſe ſatis erit: ne fructuarij rami ſubinde amputẽtur. Verùm ſtolones adnatíq; caudicibus nepotes adhuc molles & teneri, quotannis eximendi erunt, ne his onuſtus caudex fatigetur. Porrò, ſummè curandũ admoneo, ne cùm æſtibus hiabit terra, Sol per rimulas ad radices olearum penetret. Quas ubi oliuario ſuos reddiderint fructꝰ, collucandas ſuadet Africanus Græcus. Nã ſubmotis petulantibus ramis, minus decoquent domino, maioremq́ue frugem ac liberaliorẽ nouelli rami impertient, ut nũc nuper dictũ fuit: eſt enim nepotũ procreatione & ſtirpe fœlix olea: ducentos uiuens

arum longitudo.

Quando putandum oliuetum.

Radices olearum à Sole defendendæ, & petulantes rami ſubmouendi.

Oleam annos ducentos uiuere.

annos,ut tradit Theophrastus. Cui Plinius hunc in modum subscribit: Firmissimę ad uiuendum sunt oleæ, ut quas durare annis CC. inter autores cõueniat. Hinc Argis olea, inquit, nunc etiam durare dicitur, ad quam Argus Io alligauerat in uaccã mutatam: adhęc, illa quoq; Athenis, quã in certamine Minerua edidit. Sed hæc quia poëticam olent uanitatẽ missa facimus, qui oleæ syncerã narrationem prosequimur: monemúsq; unam omnium esse, quæ in opere solet regerminare. Nam oleaginea eius materies tam rudis, quàm elaborata, si humorem nacta fuerit, aut locũ adepta humectũ, germen citare consueuit. Cuius rei testem producam Plinium, qui & cardinem ualuæ oleaceum, & poculum limo immersum regerminasse tradit: subdítque à tinea nusquam rodi, nec à teredine terebrari. Ex quo factum puto, ut prisci ex olearũ radicibus minorũ deorũ simulachra insculpi uoluerint. Cęterùm, ne quid in hac historia sciẽs omittam, quod uel legerim, uel obseruauerim, uel audiuerim, non tacebo quòd sturni oleis maximè solẽt esse infesti. Quia turmatim uolantes, illarum baccas cumulatim deiiciunt, perdunt ac diripiũt. Qua-

Oleam in opere regerminare, & tineis ac teredinib' non subiici.

Sturni oleis summè infesti, & quam ob rem.

re ab oliuetis longè sunt arcendi, ne oliuis negotium faciant: quarum sunt appetentissimi ob nucleũ, qui in illis suauissim⁹ est. Quod prouida natura præuidens, muro fortissimo illum circunuallauit: adhęc carne & cute præmuniuit: nec id in aliis fructibus etiam neglexit: quorum nucleus ueluti anima quædam est, propagationis mater & formatrix. Sed hæc alterius sunt instituti. Oliuam in profanis usibus polluere olim nefas erat: imò ne propiciandis quidē numinibus ex ea altaria accendebantur. Illa est quæ equitum turmas coronauit, & minoribus triumphis ouantes illustrauit. Cuius rami portati, indicium pacis fuerunt: ex quo olea à poëtis pacifera rectè nuncupatur:

Naturæ summa sagacitas circa nucleos fructuum.

Oliuæ apud priscos mira dignitas & maiestas.

Paciferæq; manu ramũ prætendit oliuæ (inquit Maro.)

Quid illud, quod Columba ex arca Noë emissa, oliuæ ramum rediens potius attulit, quàm arboris alterius? Num ut significaret Deum Optimum Maximum, tam prodigiosæ illuuionis autorem, pacatum fuisse ac reconciliatum? Verùm hæc quia theologica, theologis relinquo, & rusticam meæ oliuę narrationem repeto: quam utiliter ac probè defloruisse dicunt, dum

Oliua pacis nuntia.

caduci eius flores perforati reperiuntur.

Oleæ folia æstiuo Solstitio conuerti.

Illa ex arboribus una est quæ folia post æstiuum Solstitium statim conuertunt: cuius rei fidem faciet experientia, rerum dubiarum & incertarum magistra certissima: unde inuersa, illud præteriisse indicāt. Sed hîc tria non minus admiranda quàm celebranda, mihi peropportunè in mentem

Oleæ & quercus summæ inimicitiæ.

ueniunt. Vnum, quòd olea quercum ualdè odit, sicuti post Theophrastum diligēter adnotauit Plinius. Nam si quercetū in confinio habuerit, non solùm illud non feret, sed etiam refugiet, séque introrsum abiiciet in fundum. Quinetiam aiunt excisam quercum suas radices propinquo oliueto noxias relinquere. Adhæc oleam eo loco positam unde quercus effossa fuit, mori aut tabescere, si uera tradit Columella. Vsque adeò mirabilis est harum arborum antipathia, & naturalis discordia: cuius causam natura nos potius mirari, quàm

Oleā à mundis pueris & uirginib' coli desiderare.

scire uoluit. Alterum, non solùm contemplatione, sed admiratione summa dignū, quòd à mundis pueris & uirginibus olea plantari, coli, ac uindemiari diligit: aut ab his qui iureiurando affirment, alienum torum uel cubile non uiolasse, licet uxores

duxerint: nam ita lætior, fertilior, ac fructuosior euadere creditur: sicuti scripsit Florentinus Græcus in suis Georgicis. Cui suffragatur Palladius, causam addens, quòd hæc arbor præsidem habeat castitatem, ob Mineruã eius tutricem & patronam. Tertium in olea mirabile est, quòd opem quãdoque senserunt, & à capitis dolore absque ullis medicamentis leuati sunt, qui folio eius hoc nomẽ (Athena) scripserũt, ipsúmque folium capiti circunligarunt: quemadmodum tradit Zoroastres in suis de agricultura Commentariolis. Quod unum quia uanam superstitionem redolet, tibi æstimandum relinquo: & oleæ meæ curam ac secreta repeto: cui malè esse creditur, cùm deflorescentem imber comitatur: aut dum circa Vergilias pluit: quoniam illius coitus tũc esse solet: & hoc illud est quatriduum, ut admonet Plinius, oleis ac uitibus decretorium: hic articulus austrinus spurci nubili. Non omittam quòd uredini post ficum olea de omnibus arboribus summè est obnoxia: cui etiam impetigo peculiaris morbus esse solet, uti scabies fico, & uitibus fluor. Vermiculis præatereà ab erucis non admodũ differẽtibus ualdè infestatur:

Folia oleæ quomodo capitis dolores finiant.

Quę tẽpestas oleis infesta & inimica.

Oleę peculiaris morb⁹ impetigo & uermes.

qui per flatus austrinos, ut ipes in uitibus, maximè gigni solent. Morbos alios quibus priuatim patet, prudens omitto, ne dicendis suum præripiam locum. Oleæ flores ab apibus non degustari, nec attingi autor est Plinius: adhæc cicadas umbram oleæ de omnibus arboribus summè diligere: tradítque M. Varro oleam sterilescere, quam capra primo germinatu depauerit: aut lingua perlustrarit. Ex quo factũ arbitror, ut Mineruæ olearum antistiti, caprini generis nihil immolarint prisci, ut tradit idẽ Varro: licet aliter sentiat Plinius. Diligenter itaque munienda sunt olivueta, ne ab his & reliquo pecore lædantur, sicuti antea adnotatum est. Oleæ fertilitas summa indicatur, ut Florentinus Græcus testatum reliquit, si non in obliquo & à lateribus, sed in summo ramo fructũ gestet. Quæ si ueluti ociosa, aut aliũde præpedita cessauerit, fœcundam reddes, ut scripsit Africanus, si in excauatum & terebratũ truncum, duos feracioris & fructuosæ oleæ ramulos ita adegeris, ut traiectim penetrent: eósque manibus prehensos tam fortiter ac ualidè traxeris, dum strictim adhæreãt: quo facto extantes foramini stilos sic resecabis, ut impa

Diligẽter munienda esse oliueta contra capras.

Quomodo cessans olea fœcũda fiat.

Method[9] ad unguem expressa.

cti cuneoli faciem præ se ferant: deinde luto paleato oras terebrati loci, ac hiantẽ sinũ diligenter lines. Hoc ueluti initu grauida arbor, uberiorem partũ enitetur. Sed meminisse oportet, quòd etiam ualẽtibus & generosis oleis, amurca, ex Columellæ cõsilio, infundenda est. Nã per hyemem si uermes atq; alia suberunt animalcula, hoc medicamento necabuntur. Quod ex græca Quintilliorum agricultura, ut pleraq; alia, sibi ascripsisse mihi uidetur Columella: in quibus notatum reperio generosiores ac lętiores euadere oleas, fructúmque plurimum adferre, si circum ablaqueatas illarũ radices, insulsa amurca aquæ remista affundatur, utriusque sextarius unus. Paleas quoque fabaceas sufficiet indidisse, plus minus pro arboris modulo. Vrinæ etiam humanę quantum fuerit uisum instillari poterit: aut argilla bubulo stercori permista, algáue aut marinus fucus. Sed confestim terra circũ est exaggerãda dodrantali altitudine: sinu pri⁹ in orbem fornicato, ut imbres pluuij retineantur. Qui cũ se insinuarint, breuissimis ac frequẽtissimis fossionibus sunt sollicitandi. Quod auxilium per torrida Caniculæ incendia adhibendum censent.

Amurca oleis ualdè medicamentosa & utilis.

Notãda pro olearum irrigatione.

Sed præſtabilius eſſe putãt multi, rigatione uti, præſertim ſi ualidi ſqualores inceſſerint. Cęterũ, quia tam in ſiccis q̃ humidis locis oliuarię arbores muſco plerunq; onerantur, & adeò infeſtãtur, ut nec fructum, nec lætam frondẽ producant, ferramẽto leniter deradetur, ut emergẽtes oleæ uberius alantur, & fœlicius procedant. Soli uitio fructum negare, uel (ut quidam uolunt) necare, ſi perrexerint, docẽte Columella, ſic mederi ſolemus. Altis gyris arbores ablaqueamus: deinde pro magnitudine cuiuſq; calcis quantũ licet circũdamus, ita ut minima arbor modicũ, maxima uerò plurimũ excipiat. Hoc remedio ſi nihil fuerit effectum, ad inſitionis pręſidiũ cõfugimus. Sterilem oleam Quintillij agriculturę peritiſ. hac ratione fœcundã fieri poſſe tradũt. Caudici ab radice ſpatiolo cubitali, ea maximè parte qua auſtrũ ſpectat, terebra foramen utrinq; imprimito digiti maioris amplitudine: quo facto duos frugiferę olęę ramulos, ab auſtrali parte ſublatos, craſsitie qua foraminis hiatũ poſsit explere, ſtrictè in illud coniicito: diſtractíſq; uehemẽter cacuminibus, eminẽtes ac extantes undiq; particulas ſcidito: & paleato luto foramina obducito.

Oleas ab infeſtante muſco liberandas.

Remediũ ad oleam quę ſoli uitio nullũ profert fructum.

Quomodo ſterilis olea fœcunda fiat.

Hoc ueluti coitu ſterilem arborem fœcundabis. Quod præceptũ cũ Africani cõſilio, paulo antè propoſito, planè cõſentire mihi uidetur. Porrò, quæ nimia foliorum & ramorũ petulantia ſylueſcunt, & abſque ulla fruge luxuriãt, Græcis hylomanes nuncupatæ, hoc eſt inſanæ (ꝙ folia quidem ferãt multa, fructũ uerò paucum, uel nullum) coërceri poterũt ex Quintilliorum obſeruatione, & præcepto, ſi in radicis foramen quod terebra excauauit, uiridem oleaſtri taleam, aut pini, uel quercus paxillũ, lapidém ue immiſeris. Quintilliis ea in re ſuũ addit calculum Columella. Solẽt, inquit, quantumuis lætæ arbores fructum quandoque non adferre, eas terebrari Gallica terebra conuenit, atque ita in foramen, oleaſtri uiridem taleam demitti: ſic arbor fœcũdo ſemine fertilior euadet. Poteſt eadem ſine ablaqueatione adiuuari amurca inſulſa, cum ſuilla, uel noſtra ueteri urina. Cuius utriuſque modus ſeruatur: nam maximę arbori, ni tantundem aquæ miſceatur, urna abundè erit. hactenus Columella de ſterili olea fœcundanda. Quæ ſi fructum multum præſeferet, quem ad maturitatem nõ perducat: uolo dicere, ſi florem

Remedium pro oleis folia & nõ fructum ferentibus.

Remedium eam in rem aliud, & paratu facilius.

Quomodo olea probè florescés, sed nihil gignés emendetur.

multum induat, & perperam illum exuat, nec sinat in baccas efformari & adolescere, facilè medeberis si ablaqueata arbore, algæ seu marini fuci corbes duos ad radices obduxeris, si maior fuerit olea: si minor, unũ. Quòd si algæ, uel fuci copia negetur, solius amurcæ usu contentus eris, aqua potabili permistæ: ita ut singulis truncis iuxta radices congios quatuor affundas, plùs, minùs, pro arborei corporis ratione. Nonnũquam in olea ramus unus cæteris aliquantò lætior esse solet: quem nisi recideris, tota arbor cõtristabitur. Solẽt & radices uelut morbo languentes plerumq; arescere, arborémque ipsam facie ueluti moribunda, uidendam exhibere: quod soboli uermium interno sinu delitescentiũ acceptum ferre licet. Quos multis modis disperdendos, cùm hoc libro passim, tum primo fusissimè ostendimus. Si efformatæ olearum baccæ defluãt, summum adhibebitur præsidiũ, ut in suis Georgicis testatur Democritus, si faba quæ uermiculum, aut pediculum continet, obstructo cera foramine, in gleba radicibus hęrente condatur, & ita obruatur. Hìc silentio nequaquam inuoluendum arbitror, quod de uite & olea

Quomodo curetur olea ueluti moribunda elanguescens.

Remedium ne olearum baccæ defluant.

Africanus Græcus Florentini teſtimonio fretus, in ſuorum Georgicôn libris, memoriç poſteritatis mandauit: Si olea, inquit, uiti inſeratur, non vuas modò, ſed & oliuas quoque proferet: cui perticæ ſubiiciundæ ſunt, ut brachiorum onus fulciant. Fit autem hoc artificio. Prope terram uitem terebramus, & fœcundæ oleæ ramulũ foramini imponimus: ut à uite dulcedinẽ, & ab humo uernaculum nutrimentum ſugat & alliciat. Vbi adoleuerit, & fructum ferre nondum aſſueuerit, ſi uiticulę eius ſarmenta fructuaria transferantur, miſturam progenitorum ſeruabunt, fructúmq; producent, qui à promiſcua parentum cõditione nomen adoptabit dicetúrque Græcè elæoſtaphylos, Latinè uerò vuolea, aut olevua. De arbore, eiúſque cura, auxiliis & ſecretis hactenus. Cuius fructus, quem baccã ubique cum priſcis nuncupauimus, oliua vulgo dici ſolet, carne conſtans & nucleo. Quam (immaturam præſertim) pleriq; uireſcẽtibus prunis albis aqua ſalſa cõditis, diſsimulare ac mentiri ſolẽt. Quæ impoſtura me, & alios multos, in celebri conuiuio hyemali, quandoque cepit ac deluſit. Oliuarũ baccæ muria exceptæ, Græ-

Quomodo uiti inſeratur olea, & qualis inde fructus emergat.

Quomodo olearũ baccę cõditæ ſimulari poſsint.

Oleæ halmades & colymbades.

cis halmades nuncupantur: quæ uerò oleo ſuo purę, & ſine accerſita commendatione innatãt, ac uelut urinabundæ fluitant, colymbades nuncupantur. Quod ad oleum attinet ex his conficiendum, hîc à me pauca admodum expectabis: ne dicar inſtituti mei fines tranſiliiſſe. Itaque monuiſſe ſatis erit, tempus legendæ & uindemiandę oleæ accommodum eſſe, quando maior pars dimidij fructus nigreſcere apparuerit: quemadmodum in ſuis Georgicis adnotauit Paxamus. Quæ res, ſi minùs cœlum aſpirauerit, non ſemper erit expectãda. Vnde olearum uindemia quandoque pręueniẽda eſt, ne à gelicidiis & frigoribus intercipiatur.

Quodnam tempus oleæ colligendæ aptum.

Serenitas uindemiãdæ oleæ opportuna.

Cęterùm, ſereno die & minimè pluuio, ab oliuantibus aggredi debet: nec licet uel minutis imbrium guttulis labentibus ramos oliuarios mouere, aut decutere, donec humiditas omnis exhauſta ſit. Non deſunt qui manibus ſenſim ac leniter ramos quatiant, ut ex iis fructus excutiant. Sed diligenter cauendũ erit ne uirga oliuaria baccę deiiciantur, aut contingantur: nam hinc arbor minùs fœcunda in poſterum euadet: ſi uera ſunt quæ ſcripſit Paxamus, inter Gręcos geoponicos non poſtremus. Qui

Summè notandũ & aduertendum.

etiam admonet tantum oliuę legendũ esse, quãtum nocte ueniente possis exprimere: adhęc molã primo oleo leniter suspẽdi debere, ne ossibus defractis sordescat. De omnibus nobilius esse solet, quod sponte defluxit: uirgineũ uocãt multi. Nouo ac recẽti sal & nitrũ misceri debent, ut illius spissitudinem absoluãt, & à labe uindicent, si quidẽ durare debebit: exactis dieb. XXX. (ubi amurca subsederit) in uitrea uasa transferendum est, aut alia opportuna, ut mox dicemus. De secundo similis erit disciplina: nisi quòd mola fortiore quassari debebunt oleę. His utcunque expeditis, ad ipsius olei custodiam & auxilia calamum conuerto: quando nobis in usu cùm cibario, tum medico frequens esse solet. Apuleius Gręcę agriculturæ professor eximius, tradit oleum uitreis uasis tutissimè conseruari, quòd frigore summè oblectetur. Si tamẽ uitrea defuerint repositoria, terreis doliolis optimè custodietur: aut aliis cribrato gypso intus perlitis, omnium uerò præstãtissimè plumbeatis aut uitreatis: uel perfectè excoctis terreis, qualia sunt Bellouacorum fictilia, quorũ usus apud nos frequens esse solet. Verumenimuerò pręsens locus

Quid uirgineum oleũ.

Oleum secũdarium.

Quibus uasis optimè seruetur oleũ.

De loco & situ oleariæ cellæ.

admonet ut de olearia cella paucis agam: quę ad eam cœli regionẽ constituenda est, quæ à calidis uentis maximè auersa fuerit. Quare, ut septentrionem spectet summè expedit: nam siccum & frigidum locum diligit oleũ, calores & humores tanquam inimicos perniciali odio habẽs. Fumo ual de infestatur: quapropter olearij doctores in totum pręcipiunt, ut neque fumus, neq; fuligo quam diu oleum conficitur, in torcular aut cellam oleariã irrumpat, admittatúr ue: imò ne lucerna quidem. Oleum quod gelatur, plerumq; fracescit: præsidiũ est salem uel nitrum opponere. Rancidum Tarentinus sic posse curari asserit, & post illum Palladius. Albam ceram mundo & optimo oleo resolutam, & adhuc coctura cum eo liquentem, in oleum profundere oportet, deinde calentes sales defrictos addere: ita oleum sapore, & odore mutato, optimè purgabitur. Si uerò misturam eam anticipaueris iniicere, nũquam rancescet. Medetur & rancori anisum oleo demersum. Si fęculentum fuerit & impurũ, purificabitur Sole, uel igne, uel aqua feruẽti, si in illam uase minimè fragili imponatur. Si sordet, sic purum facies ex eiusdem Ta-

Fumũ oleo esse infestũ.

Rancidi olei curatio ac saporis & odoris restitutio.

Fæculenti olei expurgatio.

rentini consilio. Salem ad ignem frige, & dum adhuc calet in oleum demitte, ac diligenter receptaculum operi. Idem præstabit pinea nux, modò candens oleo restinguatur. Emundabit & citri radix in oleum demersa: adhæc fæx olei torrefacta, & immissa: nam ita lympidius euadet. Si fuerit fœtidum, & odoris horrendi, præcipit idem autor uirides oleas sine ossibus tūdi, & in uasa olearia sub solis calore demitti. Si baccæ oliuariæ defuerint, teneris oleæ cauliculis tusis idem efficies. Nonnulli utraque linteolo clausa, remisto sale tuso, in uas olearium demergunt, & exacto triduo adimunt, oleū agitantes ac commouentes: quod ubi conquieuerit, in aliud cō ceptaculum transuasant. Sunt qui uetustos lateres ignitos in illud extinguant. Plerique hordeaceos panes minutim friatos, & raro linteolo obuolutos immittunt, quod ubi secundò & tertiò repetiuerint, nouos permutando & iniiciendo, salis miculas & granula indunt: & in alia uasa translatum paucos dies subsidere patiūtur. Alij sertulam campanam, seu meliloton oleo delibutum, per diē noctémque infundunt. Si aliquod animal in oleum fortè incide-

Sordidi olei purificatio.

Remediū fœtidi olei, & odoris mali.

Varij modi curationis fœtidi olei.

Vitiati olei & putris remedium.

rit, & putri nidore illud uitiauerit, iubet Democritus in ſuis Georgicis, coriandri manualem faſciculum in oleario uaſe ſuſpendi, atque ita paucis diebus permanere. Si hinc de nidore nihil deceſſerit, mutandum erit coriandrum, donec uitium ſuperetur. Sed maximè proderit, ſerenis diebus in uaſa munda decapulare: quæ optima erunt, ſi priùs acetum continuerint. Quidam ſemen fœni græci, aut coriandri ſiccum, tritúmque oleo remiſcent, uel incenſos oleagineos carbones in illo frequẽter extinguũt. Non deſunt qui vuas paſſas, uinaceis exemptis, tritas & in offas aut paſtillos redactas, oleo merſent, & elapſis decem diebus detractas exprimãt, agitatúmque oleum in aliud uas transfundant. Alij utrumque, hoc eſt vuas & uinacea, ſimul tundunt, ac in oleum mittunt.

Sylua remediorum pro curãdis oleis uitiatis.

Si turbidũ fuerit, Tarentinus ſuadet illud in fidelia oris ampli ferueſcere: & ubi ebullierit, tenuiſsimum ſalem frictum ac torrefactum inſpergere, atque ubi ſubſtiterit, aliò tranſfundere.

Olei turbidi curatio.

Pellucidum facies ſi corticem & ramulos oleagineos cum ſale detritos, & linteolo concluſos, in uaſe oleario ſuſpendas. Odoratum ſic compones: Oleo recẽti,

Vt oleũ fiat pellucidũ & odoratum.

ti, primo, ſyncero & ab omni amurcæ ſpurcitia immuni (quod anteà uirgineum nuncupari diximus) inulam ſiccam, lauri folia, cyperum, radicem iridis & alia quæ uoles odorata in pollinem tenuiſsimum trita & excreta, in oleum uitreo uaſe receptum iniice, & diu multúmque agita: deinde ſalem torrefactum & in farinam detritum immitte, ac rurſum agita: diebúſq; XV, plus minùs, uas ipſum cum oleo Soli expone: aut in duplici uaſe calidã aquam excipiente merge: ſed ita ne quid expiret uel effugiat: tantiſpérque ibi eſſe permitte, donec horas treis lẽto igni ebullierit: exẽptum patere ſpatio quodam conquieſcere, dum concorporari, & in unum coire perceperis. Dein percolato, & in tuum uſum loco ac uaſculo idoneo optimè ſeruato, & diligẽter proſpicito, ne qua illabatur aura. Sed de oleo hactenus. Iam nobis reddenda eſt tam oleæ, quàm eius baccæ medica ratio: proponendáque ſunt pauperculæ plebi, ſiue ruſtica illa ſit, ſiue urbana, iam dictorum omnium præſidia, prompta perinde atque paratu facilia.

Pulchra & ingenioſa ratio cõficiendi olei odorati.

Paraſceue ad medicam oleæ narrationem.

Medica.

Vlcera, hæmorrhagia, crustæ, cicatrices, & ocularij morbi.

OLeæ folia præmansa, & ulceribus apposita, summè iuuant: eorúmque decoctũ cum melle, sanguinis profluuia cohibet, tam sumptum, quàm admotum: crustas insuper emarginat, & cicatrices delet. Succus ab his expressus carbunculãtibus circa oculos ulceribus & pustulis, procidentíque pupillæ, & antiquatis delachrymationibus mirè auxiliatur.

Quomodo exprimẽdus succus è foliis oleæ.

Exprimitur autem tusis foliis, & affuso uino albo cũ aqua cęlesti. Qui si uisum fuerit, in pastillos & offulas ad Solem resiccari, & in usum opportunum seruari poterit. Vuluæ admotus in uellere, pessarij modo uel aliter, menses immodicè fluentes sistit:

Mẽses, ignis sacer, nomades, aures ulceratę seu purulẽtæ, & alia.

estque ignibus sacris & ulceribus quæ serpunt ualde utilis: nec non auribus siue ulceratis, siue purulentis. Eosdem effectus oliuaceus flos etiã præbere dicitur. Liquor ex accenso recenti ligno stillans, lichenas sanat: adhæc furfures, psoras, & manantia ulcera. Cortex è radice quamtenerrimè derasus, crebro gustatu & illinctu ex melle rosaceo, sanguinem excreantibus, & suppurata tussiẽtibus, miraculo quodam medetur. Cinis eiusdem cum axungia tumo-

res diſcutit, & fiſtulis uitia detrahit. Hæc de arbore ex Dioſcor. Plin. & Galeno: nũc de fructu paucis dicendum. Oliua flaua & recens ſtomacho utilis eſſe cenſetur, uentri uerò difficilis, ut ſcribit Dioſcorides. Nigra & matura corruptioni eſt opportuna, & proinde cacoſtomacha. Recens cibi modo per ſe deuorata antequam cõdiatur, præclarũ habet uſum: nam arenoſæ urinæ medetur, dentibúſque attritis, aut conuulſis ſummè prodeſt. Succus olearum è muria, collutione gingiuas comprimit, & dẽtes labaſcentes, infirmos, ac cõmotos ſtabilit. Nucleorum medulla cum axungia & farina, ſcabris unguibus commodiſsimè illinitur. Quòd ad oliuariũ liquorem attinet, vulgò oleum nuncupatum, quo nullus à uino præcioſior ſuccus eſſe ſolet in uniuerſa rerum natura, hæc à me in pręſentiarum accipies. Receptum confeſſumque eſt apud omnes rei agrariæ & medicæ doctores, Pœnos, Arabes, Græcos & Latinos, oliuarium oleum recens & minimè uitiatum, ad corporis & uirium reparationem, conſeruationémq;, foris adhibitum ſummè conferre. Quod celebri Pollionis Romuli exemplo docetur. Hunc enim cẽ-

Recentis oliuæ & flauæ, adhæc nigræ & maturæ facultates.

Vrina arenoſa, dentes attriti, conuulſio, gingiuæ, ſcabri ungues & alia.

Facultates olei oliuarij apud omnes receptæ.

Pulcherrima hiſtoria, & notatu digniſsima.

teſimum iam annum excedentem, ut autor eſt Plin. cùm Diuus Auguſtus hoſpes interrogaſſet, quanam ratione uigorem illũ animi, corporíſq; maximè cuſtodiſſet, Intus (reſpõdit) mulſo, & foris oleo. Quod à Democrito deſumpſiſſe potuit: qui interrogatus, ut Diophanes in ſuis tradit Georgicis, quonam modo homines uiuere poſſent inoffenſa ualetudine, & animi corporíſque ſtatum incolumem ac uegetum diu ſeruare, Si externa corporis (inquit) oleo, interna uerò melle præmuniãt. Valet itaq; oliuariũ oleũ ad corporis & uirium cõſeruationẽ, necnon contra algores. Quod cũ intelligeret magnanim9 Annibal, Romanorũ terror quondam nuncupatus, in Alpium tranſitu militum ſuorum corpora, aduerſus niuales iniurias, & rigentem aërẽ, oleo foris præmunire imperauit. Nam à perfrictionibus corpora uindicare & illa gerendis rebus habiliora reddere ſciebat. Si introrſum recipiatur (de recẽti loquor) uentrem emolliet, uenena hebetabit, eáq; uomitionibus illico excludet. Calidũ cùm ſucco rutæ hauſtum, tormina actutum ſedat: & ileoſis utiliſsimè infunditur, quos tenuioris inteſtini morbus tẽtare ſolet. Fa-

Olei oliuarij uires planè diuinæ.

Annibalis. ſcientia & prudentia ſumma.

Vẽtris emollitio, uenena, tormina, & ileoſi.

ciem expurgat, & bubus per nares infusum donec ructent, inflationem mitigat. Reliqua olei oliuarij præsidia, medicis cognita, ne sim longior, omitto, ut ad eius amurcam ueniam: cuius usus olim rusticis fuit freques, & in magno precio, quemadmodum libris & locis superioribus passim ostendimus. Est itaque amurca sanies expressæ oliuæ, ut antiquis placet, aut sidens illius retrimentum. Quam super omnia miris laudibus celebrauit M. Cato: præcipiens areas terendis messibus, illa subigendas esse: imminutísque glebis æquatas, pauiculis uerberandas, ne formicæ noceant, uel subnascantur herbæ, aut rimę dehiscāt. Quin & luto quod amurcam ebibit si parietum tectoria, horreorúmque pauimenta obleueris, neque gurguliones, neq; mures frumentum attingent. In uinea nullus nascetur conuoluulus, ut cum Plinio tradunt rusticationis magistri, si uitem circū caput & brachia, amurca perunxeris, quæ leui cocta sit igni & rudicula crebrò agitata, dum mellis crassitudinem retulerit. Eadem contra æruginem defendit æramenta quæuis, modò priùs extersa fuerint. Boues qui cibum fastidiunt, magis cupidè illum

Amurcę usus frequens antiquis.

Quid ppriè amurca à M. Catone tantoperè celebrata, & eius usus.

Cōtra gurguliones, mures conuoluulū, æruginem & alia.

Vt boues nō fastidiant cibum, & uesti-

menta nõ rodãtur à tineis

appetent, si pabulum amurca respergas: ita enim curati, corpore pulcherrimè ualebũt: & si quis aderit morbus, abigetur. Addo ꝙ cõdita uestimẽta in arca quæ fundũ amurca illitũ habuerit & resiccatũ, nullo modo à tineis contingentur. Adhæc ꝙ lignea su-

Quomodo lignea supellex fiat elegans, & ligna absque fumo ardeant.

pellex quã amurca deterseris, coloris gratiam, & splendoris elegantiam mirè contrahet. Si ea quadrupedes & detonsæ oues cum aqua ubi lupinus deferbuerit illinantur, sic ut biduum uel triduum desudent, deinde salsa aqua lauentur, neque scabræ fient, neque ricini erunt molesti. Hoc postremum sit. Ligna amurca macerata nul-

Plinius vniuersitatis rerum bibliotheca.

lo fumi tædio exardescunt: quemadmodũ scribit magnus ille & incomparabilis naturæ interpres Plinius, in sua illa celebri rerum mundi bibliotheca.

Operis huius conclusio ad Fran. Oliuarium, Galliarum Cancellarium prudentissimũ.

HAEC SVNT, FRANCISCE OLIVARI, Galliarum sub tribus Regibus Cancellarie prudentissime, quæ de hortensium & oliuaria historia hoc loco adferre possum. Quam de omnibus si longè & latè sum prosecutus, si in oliueto diu ac libenter sum spatiatus, & pro animi sententia hilariter ac iu-

cundè uersatus, id OLIVARIORVM gentilium tuorum, tuáque imprimis gratia factum fuisse existimabis. Qui à Palladia illa oliua, OLIVARIORVM cognomen non sine fatis & numine diuûm, longa serie Regibus & Gallicanæ Reipublicę utili ac summè probata, fœliciter adepti estis. Iusta sanè causa, quæ hîc mihi potius est reticenda, quàm paucis explicanda. Itaque de hortensium cura, auxiliis & secretis, hæc in præsentiarum satis erunt. Quæ qui legent, qui probabunt, & hinc fructum aliquem sibi comparabunt, ab his solicitè peto, ut tibi, illustrisime CANCELLARIE, rem omnem acceptam libenter ferant. Tibi, inquam, in quo spes omnes, fortunæq; nostræ sitę sunt, & Musæ inclinatæ recũbunt. Sit hîc colophon præsentis opusculi, quod sicuti initium à te duxit, ita in te claudetur.

Vnde Oliuariorũ familia id cognominis sit adepta

Cuinam potisimũm acceptã liceat ferre hãc hortensium historiam.

Finis trium librorum Antonij Mizaldi Monluciani, de cura, auxiliis & secretis hortorum.